Elenchus Elenchi:

SIVE

ANIMADVERSIONES

IN

Georgii Batei, Cromwelli Parricidæ aliquando PROTOMEDICI, ELENCHUM Motuum Nuperorum in Angliâ.

Poſt alteram & tertiam ejuſdem editionem.

Autore R. P. *Regio milite veterano.*

HORAT. de arte Poet.

Quintilio ſi quid recitares, corrige, ſodes,
Hoc (aiebat) & hoc: melius te poſſe negares
Bis terque expertum fruſtra; delere jubebat.

PARISIIS,

M DC LX IV.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

7 Lbs. 8.

Viris Inclytis

Veteranæ in Angliâ militiæ

Regiæ Superſtitibus

Ductoribus, Tribunis, Centu-

rionibus, Decurionibus, Legio-

nariis, Manipularibus;

Magna auſis, Majora meritis,

A

Georgio Bateo

Vel ſilentio præteritis,

Vel verborum contumeliâ aliquâ

notatis,

Has in Scriptoris iniqui

Elenchum planè ΕΛΕΓΧΙΣΤΟΝ

Animadverſiones ſuas

ultro dedicat

R. P.

Commilito.

Syllabus Capitum

Proœmium——

CAP. I.

Batei *in homines a ſuâ Sectâ alienos, quamvis de Regibus noſtris optimè meritos, dicacitas & petulantia.* pag. 1.

CAP. II.

Bateus *perduellibus ac parricidis in Elencho ſuo paſſim favet.* p. 15.

CAP. III.

Partium ſtudio â Bateo *Prætermiſſa complura memoriâ digniſſima.* p. 29.

CAP. IV.

Ex fece plebeculæ à Bateo *collecti rumores & mendacia.* P. 40.

CAP. V.

Aliis Batei ἀνισορροπίας *errorēs, & toto opere vitioſa Latinitas.* P. 54.

LECTO-

LECTORI.

On mihi erit integrum, Amice Lector, semel vulgato scripto judicium tuum subterfugere. Pro in hîc paucis te in limine oro, ut si tibi duriùs fortassis quàm par fuit egisse videar cum Elenchi *Autore, perpendas seduló quàm fuerint dictu fœda illa quæ mihi meritam procacitatis intempestivæ animadversionem multorum precibus extorserunt. Quis enim in Elencho Historico hujusce modi probra æquo animo ferat? Qualia sunt cùm pro Romanâ Ecclesiâ,* Meretricem Babylonicam; *pro Sacerdotibus,* Sacrificulos; *pro Serenissimæ Reginæ Matris ejusve administrorum de Regio filio curâ,* Circæa pocula, Veteratores, importunitatem, materna allicientis blandimenta; *pro* Sabaudiæ Ducis *suorum perduellionem cohibentis justitiâ,* cæde ac sanguine exturbatos ex ædibus propriis Reformatæ Religionis complures; *pro eximiorum virorum*

virorum Regicidium ulciscentium laudatissimo facto, nefarios occisores, contra fas & æquum, fœdè jugulantes, homicidas *denique atque alia id genus aliâs malè sanus eructat. Quis porrò non indignetur in hujusmodi Latinâ Historiâ, cujus ex cœno limpidos veri latices ab Exteris aliquando hauriendos frustra speres,* Catholicorum *in Regiâ Causâ præclarè facta reticeri, siquid perperàm ab illorum aliquo actum popularis rumor falsò vulgavit, id insolentius ut verissimum propalari, imò subdolè nonnunquam vel laudari perduelles ipsos, vel certè, quod proximum est, excusari?*

Ad hæc quoties spissam admodùm falsitatis caliginem rerum publicè gestarum diei ac luci incubantem dispellere necesse habeo, nôris Mendacii *vocabulum ex Latinorum usu, quàm pro præsentis sæculi palato vernaculoq; Anglorum more liberius adhibentem, Latinè duntaxat nescienti cuipiam forsitan offensioni futurum, alii nemini, nisi quem studio partium cæcus in* Bateum *amor fallit. In hujusmodi ego imbecillo ingenio homines, qui cùm reliqua hujus* Elenchi *vitia, tum Latinitatem ipsam, quamvis tot Solœcismis ac Barbarismis inquinatam, depereunt, temperare mihi non possum quin exclamem* Ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχεα.

Ιλ. ϛ.

Vale,

ELEN-

ELENCHUS ELENCHI;

SIVE

In GEORGII BATEI Elenchum Motuum Nuperorum in Angliâ

ANIMADVERSIONES.

PROOEMIUM.

MAximarum rerum meliorequeHistorico dignissimarum notitiam posteritati transmissurum *Elenchi* Autorem parùm admodùm consuluisse suo nomini *Animadversiones* hæ palàm legenti facient. Siquidem & provinciæ, in quam se minimè invitatus ultro ingessisse creditur, haud parem idoneumve ostendent pauca ex plurimis à nobis hîc annotata, & tum affectione animi studioque partium prætermissa multorum egregia in utrumque *Magnæ Britanniæ Regem* promerita, tum

tum in homines factioni ſuæ adverſos petulantia, tum deniq; quod pejus eſt, ſive ignoratione veri, ſive livore improbo collectæ ex infimæ plebis angiportis rumuſculorum quiſquiliæ & aperta mendacia, qualia ne bonum quidem civem, nedum Hiſtoricum bonum decent, manifeſtò prævaricatorum arguent. Juvabit nos ſanè caſtigatâ hominis temeritate apud exteros Anglis inuſtum *Georgii Batei Elencho* dedecus quoquo modo amoliri, quibus in promptu fuerit vel inde arbitrari meliorum inopiâ nos oppidò laborare, quòd non alius hodie rerum noſtrarum Hiſtoricus Latinè prodierit, quàm imperitus juxta ac maledicus, iſte dicerem etiam infamem Regicidarum paraſitum, niſi *Regum clementiſſimus* juſtiſſimæ in hos homines indignationi modum aliquando poſuiſſet.

CAP. I.

CAP. I.

BATEI, *in homines a ſuâ Sectâ alienos, quamvis de Regibus noſtris optimè meritos, dicacitas & petulantia.*

GEorgii *Batei Elenchum* excuſſurus, Lectorem meum principiò monere habeo, in citandis Libri pagellis, uſum me eſſe *Londinenſi* Editione, cujus pars utraque prodiit *Recognita & aucta, Æræ Chriſtianæ Anno* 1663. *Typis J. Fleſher proſtatque venalis apud R. Royſtonum*——Et quia cum Londinenſi Exemplari convenire ſe profitetur in ipſa operis fronte *Amſterodamenſis* Editio (quæ tamen ego in multis diverſa comperio) nulla repetitis utrobique erroribus excuſatio ſuppetit.

Quæ ſit *Protomedici* hujus Religio, cuinam in tantâ errorum colluvione, ſe potiſſimum Sectæ addixerit, haud facilè ſtatueris, cùm in *Cromwelli* aulam, in quâ hic totus erat, nulli Hæreſi non patuerit aditus, excluſis inde Catholicis duntaxat Proteſtantibuſque quotquot hodiè ſancita hujus Regni Legibus dogmata profitentur. Horum ille multis quantumvis licet Regiarum

partium assertoribus vindicibusque acerrimis, cur nullo aut facto læsus, aut verbo lacessitus infensior sit, non aliam ego causam invenio, quam alienati ab his animi odium planè *Calvinianum.*

§. I.

PARTE I. pag. 42. Catholicam Religionem *Superstitionem diram* vocat. *Superstitioni*, inquit, *diræ ceu tot humanas hostias mactant.* Quid responsurus est *Protomedicus* noster quærenti quot Calvinismi, indeque pullulantium errorum multiplicisque amentiæ *Superstitioni*, cujus cùm in Angliâ tum in Hiberniâ sub idem tempus apparebant ubique

Æneid. 2. ——— *diræ facies inimicaque Trojæ*
Numina,

mactaverint innocentes victimas perduelles Angli, *Batei* familiares?

§. II.

Pag. 44. *Proceribus & Sacrificulis, &c.* Siccine præteritorum Seculorum, à Christianæ Religionis in nostris insulis exortu, Historicos omnes procaci dicterio ineptus homuncio castigare audet, dum quos illi omnes *Sacerdotes* nuncupant, hic *Sacrificulos* appellat?

§. III.

Pag. 51. *In eodem deprehensi sunt Meretricis Babylonicæ amplexu*, &c. Itane de Romanâ Religione loquuntur Historici? Cui ex meretriciis

ciis amplexibus fœdiſſima contagio etiam ipſum naſum dudum occupaſſe dicitur, quid mirum ſi de *Catholicis* loquens metaphoram Calvinianis miniſtellis tam ſolennem, ſibique adeò familiarem hoc loco uſurpet, & neſcio quid ſuave in fœtido contumeliæ fimo videatur odorari homo ſagax magis quàm *naſutus*. Si *Romanam Eccleſiam* Bateus *Meretricem Babylonicam* eſſe velit, quid de *Anglicanâ*, qualis nunc eſt, Eccleſiâ dicet, quam Sereniſſimus Rex * *Jacobus Romanæ Eccleſiæ Filiam*, quamque graviſſimi quique Proteſtantium ejuſdem vel *Filiam* vel *Sororem* eſſe aiunt. Adeat luculenti Scriptoris *Gulielmij Oſſorienſis* Antiſtitis ΑΝΤΙΧΡΙΣΤΟΝ *lib.* 1. *cap.* 4. diſcatque inde *neque magnam illam in Aſſyriâ Babylonem, neque vel Romam veterem, vel Conſtantinopolim (quæ etiam Novæ Romæ nomen obtinuit) eſſe Babylonem illam, de quâ in Apocalypſeos cap.* 17. *mentio fit.* Perlegat attentius in eodem Opere argumenta quibus idem probat *nec PAPAM nec TURCAM eſſe magnum illum ANTICHRISTUM, ſed Factores abominandi Anglorum cum Scotis fœderis, valentioremque factionem longi illius Parlamenti.*

* *Vide quæ dixit in Parlamento* 1. *Jac.* in *Chron. Stow.* fol. 840.

§. IV.

PARTE *II.* pag. 2. *Per hominum licet injuſtitiam redit in Autorem Scelus. Doriſlai* qui, (ut ipſius etiam *Batei* verbis utar) *Parricidali contra Regiam Majeſtatem Dicæ concinnandæ nuperrimam navarat operam*— interfectores Injuſtitiæ inſimulat, ut egregij viri *Whitfordi* aliorumque conſtantium Scotorum, Parricidæ nefarii inauditum Scelus præclaro facinore ulciſcentium, memoriæ ignominiam inurat.

§. V.

Pag. 6. *Nosse convenit Romanæ Superstitioni suum esse Clerum*, &c. Profitetur sæpe hic Autor se *Exteris Elenchum* hunc scribere. At quibus *Exteris?* Num *Gallis*, *Italis*, aut *Hispanis*? Plerisque certè Exterarum Nationum frustra & stultè suasurum se sperat Romanam fidem *Superstitionem* esse.

§. VI.

Pag. 7. *Clanricardum*, *Taffum*, *alioſque paucos excipio*, *qui etiamsi Pontificiæ Religionis obstricti Zelo*, *fidem tamen Regi suo illibatamque servârunt obedientiam.* Hibernos generatim atque universè omnes damnat hic Scriptor tanquam *duræ cervicis gentem*, *inolitisque erroribus* infamem, quique (ut ejus verbis utar) *Rebellionis faces subdiderint*, *rapinis*, *cædibus*, *sceleribus omnia miscuerint*, *regimen everterint*, *Regi abrenunciârint.* Hæc ille uno spiritu in Hibernos indiscriminatim convicia eructat. Quæro ego ex *Bateo* num cum *Clanricardo*, *Taffo*, *aliisque paucis* Regi fidis excepta velit quatuor millia peditatus & quingentos equites quos ipse horum immemor mox, *pag.* 38. fatetur perduellium immanissimi *Cromwellii* copiis sub Præfecto *Cootio* militantibus sese constantissimè oppositisse, atque adeò *Pontificios* omnes fuisse? Ita enim scribit Bateus: *Tandem Euermacmahonem profligavit* [*Cootius*] *Episcopum Clogeri*, *qui Nobilium Ultoniensium calculis Onealio demortuo succenturiatus quatuor millia peditatus & quingentos equites moderabatur. At commisso prælio fracti omnes*,

& infulatus ille Ductor laqueo ſtrangulatus. De Exercitu iſto adnotatu hoc dignum, è ſolis conflatum eſſe Pontificiis. Quid quod idem *pag.* 52. fatetur inſtituta *à Cromwello* Anglorumque *Pſeudo-Senatu ſeverâ in primæ Rebellionis Compertos Inquiſitione, nemini vitæ gratiâ factâ, qui manus Anglorum ſanguine cruentârat, iſtiuſmodi hominum non ultra ducentos univerſam ſuppeditare potuiſſe Hiberniam?*

Quamquam occæcante invidiâ non pudeat fabulatorem hunc mox comminiſci *gladii* aut *peſtis devaſtatione*, vel etiam clandeſtina reorum fugâ factum eſſe, ut quos, pauciſſimis exceptis, univerſè tot ſcelerum inſimulavit Hibernos omnes, eorum adeò paucos in medium hic produxerit? Quid quod dum hæc in *Elenchum* hunc ſcriberem Delegati Angli Commiſſum ſibi à Rege jus in perduellium Hibernorum cùm demortuorum, tum etiam nunc ſuperſtitum crimina inquirendi, ſententiámque re auditâ ferendi, in Hiberniæ regno adminiſtrantes, multa centena innocentium capita inibi cenſuere, quorum nihilominùs fundi tanquam perduellium atque homicidarum, à *Cromwello* ejuſque aſſectis proſcripti venierunt? Quid quòd vel Regii præconii ſolenni oraculo laudata eſt Hibernorum etiam in Exteris oris fides & obſequii conſtantia, quippe quorum fortiſſimæ Legiones aliquot Regem ſuum extorrem extorres ipſæ ubique ſequutæ ſunt? Dum *Bateus* vel medicamenta *Cromwello* ſuggerebat, vel Cupidinis in caſtris militabat? Quocunque tamen modò ſe res habeat, neque *Hibernos* omnes mihi excuſare, neque *Bateo* accuſare omnes, integrum eſt.

§. VII.

Pag. 15. *Sequenti manè bello inidonei, quotquot aderant è Pontificiis Dubliniæ, tam masculi quàm fœminæ ex urbe extruduntur.* Quorsum hæc quasi de Industriâ subobscura atque ambigua, nisi ut incauto Lectori innuant, *Pontificios* omnes bello idoneos in illâ urbe sub *Ioneſio* perduelle militasse? Quod est falsissimum.

§. VIII.

Pag. 40. *Sed ad Proregem redeat oportet historiæ filum, cui sicuti prius omni ratione Clerus obstiterat Pontificius, &c. Bateus* hîc rursum Catholicum Hiberniæ Clerum universè refragatum esse Proregi ait, cùm pars Cleri duntaxat illi obstiterit.

§. IX.

Pag. 63. *Aschami nefarios occisores*, &c. Et pag. 66. *Aschâmum, in cubiculum quod Madrito habuit subitò irruentes, contra fas & æquum fœdè jugularunt. Venetorum Legatus homicidarum uni refugium præstitit. Alteri in fugâ comprehenso jugulus in publico præscinditur. Cæteris numero tribus, Asyli, quò se receperant, religio patrocinatur. Comperendinando & in longum protractâ disceptatione, impunè tandem dimittuntur*: idque contigisse dixerat *præ tedio* in priori editione hujus *Elenchi anni* 1662. *pag.* 131. idemque habet Amsterodamense exemplar, *pag.* 86. Proh quibus maledictorum aculeis incessit hic *Elenchus* clarissimorum adolescentium

um inaudito Parricidio trucidati Regis ſui manibus juſtiſſimâ vindictâ parentantium glorioſiſſimum factum, dum *nefarios occiſores* vocat, dum *contra fas & æquum*, dum *fœdè* Regicidarum legatum *jugulaſſe* ait, dum *homicidas* denique appellat ingenuæ conſtantiſque in Regem fidei viros, quorum hodie tres ſuperſunt *Regi* optimo chari, eoque bonis omnibus accepti, ad poſteritatis commemorationem hîc meritò à me nominandi, nimirum *Edvardus Halſalius*, *Henricus Progerius*, & *Joannes Gulielmius*. Ex omni numero *Valentini Progerii* diuturno carceris ſqualore vinculiſque oppreſſo corpore fortis generoſuſque animus, ad æternitatem & gaudia beatorum, uti ſpes eſt, evolavit. Illorum uni *Gulielmo Sparkio*, viro nobili ac forti, extra Aſyli immunitatem intercepto, capiteque plexo indoluerunt præſentes omnium ordinum præcipui quique, quibus honoris decoriſque veri ſenſus, fuitque ex Hiſpaniæ Magnatibus qui Epitaphio libero cùm *Sparkii* gloriam, tum Hiſpanici conſilii aſſentatorio ejuſdem ſupplicio *Cromwelli* minas placare ſtudentis indignitatem ſic expo- *El Almirán-te de Caſtillo*
neret,

Aqui yace degollado
Un exemplar que hizo ley,
Que el que vengare a ſu Rey
Muera por raſon de eſtado.
No le a valido ſagrado
Ni que la Ygleſia ſe quexe
Para que de morir dexe,
Pues compro el conſexo (es llano)
Con la vida de un Chriſtiano
Todo el miedo de un Hereje.

Ignorat,

Ignorat, credo, *Bateus* in qualem juſtiſſimæ hujus ultionis aſſertorem ac vindicem impingat temerariam ſtyli procacitatem, quippe in *Edvardum Clarendonii Comitem.* Virum ultra firmiſſimam rebus in adverſis erga Regem conſtantiam, iis ingenii prudentiæque laudibus illuſtrem, quibus adminiſtrationis publicæ ſub Rege habenas modò ſummus Angliæ *Cancellarius* fœliciſſimè moderatur, qui *Madritum* à Rege tunc extorre publicâ cum legatione profectus pulcherrimam facti Defenſionem arceſſitis undique nervoſiſſimis rationum Juriſque firmamentis, ſcripto exhibuit, cujus exemplar penes me nunc eſt. Idem bonis omnibus ſenſus erat, iiſque potiſſimum qui à Rege legati in exteris oris tunc verſabantur. Num *Bateum* latet quid *Hamburgi*, quid *Hagæ-Comitis*, quid *Lateſiæ Pariſiorum* moliti ſint generoſâ indole noſtratium complures adverſus perduelles iſtos auſos cruentas Regio ſanguine manus ſtupenti terrarum Orbi oſtentare? Ut omnino conſtet idem aliis conſilium, aliis eundem animum aut occaſionem, voluntatem eandem nemini defuiſſe.

Hîc ego conſimilem ulciſcendi ejuſdem Regicidii ardorem in Clariſſimo viro, & ſinceri in Regem obſequii conſtantiâ ſuprà ingenii feſtivitatem notiſſimo *Thoma Killegrew* non præteribo tacitus. Fungebatur is *Venetiis* anno *Chriſti* 1650. à Rege noſtro Legati munere, cùm percrebuit in illa urbe rumor *Watſonum* quendam à Regicidis illò miſſum Mercatoris *Belgæ* in ædibus diverſari. Comparatis igitur nonnullis qui hominem de medio tollerent, terrore perculſum coëgit vadimoniis præſtitis ſubſcriptoque Chirographo jurare, ſe rem ſuam privatam duntaxat illic agere, nihil ſibi negotii à perduellibus

ellibus Anglis mandatum, nedum infandi parricidii reos, quos utique execrari se testabatur, *Venetorum* Reipublicæ excusaturum venisse. Quamobrem frustrà obgannit hic *Cromwelli* Parricidæ Protomedicus adversos viros, quos in duos Magnæ Britanniæ Reges glorioſissimo facto testata fides, & comprobatorum tam illustrium præconia compotes laudis æternæ reddiderunt.

Notanda hîc etiam est levissimi Scriptoris inconstantiâ, qui in eâdem parte hujus *Elenchi pag.* 208. fatetur alios *ob intentatum Tyrannicidium Triumphalem arcum & honores quidem summos promeruisse*, hos verò (an quia partim erant *Catholici*?) *nefarios occisores* atque *homicidas* vocat & *contra fas & æquum* fecisse blaterat. Advertendum quoque est obiter eundem cùm in priori Londinensi anni 1662. tum in Amsterodamensi exemplari frigide dixisse *præ tedio dimissos*, quod in hac, quam sequimur, postremâ Editione expungendum duxit, cùm παύλεραι φρονήσεις sapientiorem reddiderint hominem, neque ignorare siverint, quo honore, quibus Cleri Magnatumque, Apostolici præsertim Nuncii atque Archiepiscopi Toletani, studiis, quibus Nobilitatis reliquæ plausibus, quâ Madritani populi admurmuratione, ipso Castiliæ Præfecto rhedâ suâ vectos comitante, ad violati asyli immunitatem triumphalem in modum redierint; ubi mox læto gratulantium Legatorum omnium, quotquot ab exteris Principibus *Madriti* tunc aderant, concursu honestati sunt.

Non est hujus loci inquirere cur tam invito *Prisciano* dixerit *Aschamum cubiculum Madrito habuisse*, potius quàm *Madriti*.

§. X.

Pag. 70. *Reginà verò [Sueciæ] brevi poſteà de ponte deturbatâ, vel (ſi molliori appellatione uti liceat) ſeipſam abdicante*, &c. Immo verò licet tibi molliori appellatione uti. Sed non tibi licet à Sereniſſimâ *Chriſtinâ*, de Rege noſtro non malè meritâ, quò Catholicæ Religioni liberiùs vacaret, Sponte abdicati Regni gloriam immortalem Calviniano dente & ſcurrili dicterio arrodere.

§ XI.

Pag. 117. *Gnarus viarum Giffordius quidam, relicto à lævâ Kiddermonaſterio, per Stourbrigiam inſtituit iter ad Whitladies*, &c. Ecquis externus non exiſtimet *Giffordium* hunc inter calones & lixas pediſſequum aliquem extitiſſe, quem *Bateus* hîc tantummodò voce *quidam* velut ignotum ac vile caput deſignat? Moveret, credo, Protomedico huic bilem, qui meritò quereretur Bateum *quendam* nullius notæ hominem adeò contemptim de *Giffordio* loqui, viro nobili, qui notiſſimum antiquæ atq; opulentæ *Giffordiorum de Chillingtonio*, unde eſt oriundus, familiæ Splendorem tam egregio tempeſtivi erga Regem obſequii, fidei, fortitudinis documento auxit atq; illuſtravit. Noctem illam teſtor ac memoro, quæ diem III. Nonas *Septemb.* acerbiſſimâ clade luctuoſum conſecuta eſt, cùm ab Illuſtriſſimo Domino *Franciſco Talbotto*, modò *Salopiæ* Comite, commendatum ſibi CAROLUM *Giffordium* fortunatiſſimo ejuſdem nominis omine *CAROLUS*, etiam inter adverſa verò

verè *SECUNDUS*, per caliginem & tenebras, ſecundante cælo, primum per ignotos viarum calles atq; anfractus incolumitatis ſuæ ducem habuit. Sed nimirùm nequaquam expedire *Bateo* viſum eſt, *Elenchi* hujus lectoribus innoteſcere cùm *Giffordium*, tum *Carliſium* Tribunum occultato in *Quercu* Rege celebrem, *Franciſcum Yatteum* ejuſq; uxorem, & *Penderellos reliquos, Catholicos* omnes fuiſſe conſervato Britannorum Regum optimo æternùm memorandos.

§. XII.

Pag. 164. *Securi Percutitur* [Don Pantaleon Sà] *vultu ante impalleſcente, quaſi umbras mortis perſentiſceret priuſquam emoreretur.* Quorſus hæc pertinent de *Pantaleone Sà* (quem dum Græciſſare ſe credit, ignarè *Pantaleontem* vocat) *Luſitano* nobili? Conſtat certè aſſantium omnium teſtimonio ea pietatis, fortitudinis ac ſynceræ facti pœnitentiæ argumenta ab illo in morte edita fuiſſe, quæ ejus memoriam ſatis ſuperque ab omni trepidationis calumniâ vindicent. Ut proinde omnium, quos de utriuſque morte conſuluimus, conſenſu, immeritò huic anteferatur *Gerardi* fortitudo. Præſentis in illo articulo & timore vacui animi Argumentum fuit, carnificem *Gerardi* tum capite plexi ſanguine conſperſam tabulati partem obtegere parantem, ne morituro terrori eſſet, monuiſſe *ſupervacaneum id officii fore*; *Etenim ſe fixo iam in Deum animo eiuſmodi ſpectaculo non commoveri.* Cæterum Religionis ne, an Gentis, an ipſius fortè *Pantaleonis* privato aliquo odio, ex ingenito

plerisque *Lusitanis* pallore vultus animi ægritudinem concludat hic *Protomedicus*, quis divinet?

§. XIII.

Pag. 181. *Versabatur* [*Dux Gloceſtriæ*] *in ſummo diſcrimine medias inter Pontificiorum catervas, qui Circæa pocula porrigebant, Comminantes iram Dei æternam pœnaſq; temporales, niſi Fidem Romanam amplexaretur*, &c. Et mox, *contra iſtos veteratores*, &c. *Nè cederet aut horum importunitate victus, aut maternis allectus blandimentis*, &c. Sereniſſimæ Reginæ HENRICETTÆ MARIÆ ingentia in Magnam Britanniam promerita, & latiſſimè coruſcantem, etiam inter nuperi exilii tenebras, virtutum tantâ Heroinâ digniſſimarum fulgorem reverebuntur ætates conſequentes, quantumvis licet allatrantis cum *Presbyterianis* ſuis (de quibus idcirco conqueſtus eſt meritò (CAROLUS PRIMUS) Batei malè morati hominis perſtringat oculos. Quis enim niſi *Batei* ſimilis Regis Optimi Clementiſſimiq; Matrem talem ac tantam indigniſſimè fugillaret, eorumque, quorum illa in educando filio *Gloceſtriæ Duce* operâ uti voluit, eximiorum virorum curam & ſtudia petulantibus maledictis proſcinderet, iſtis vocibus, *Circæa pocula, veteratores, importunitate, maternis blandimentis*, &c. Quod porrò dicit de *comminatione pœnarum temporalium* eſt falſiſſimum; ideòque animadverſione meritâ ſuo loco inter ejus mendacia caſtigandum.

§. XIIII.

§. XIIII.

Pag. 188. *Sabaudiæ Pedemontanæ in regione grave contigit ea circa tempora turbamentum: Dux etenim loci militibus immissis, Reformatæ Religionis complures ex ædibus propriis non sine cæde ac sanguine exturbarat.*——Quænam istbæc *Batea Presbyteriani* in te ingenii protervitas est, perduellioni ex Angliâ vel te invito proscriptæ, in *Sabaudiâ* tamen quamuis in ipso exortu suo mox compressæ tam impensè adhuc favere velle, atq; eo nomine Supremum illius regionis Magistratum Serenissimum *Sabaudiæ* Ducem *exturbatorum ex ædibus propriis Reformatæ*, si Deo placet, *Religionis hominum*, imò *cædis & sanguinis* adeò impudenter insimulare, & tam iniquo interim silentio *Reformatorum* tuorum, extrema ante commeritorum, seditionem ac scelera præterire? Siquidem *Pedemontanorum* istorum nonnulli *Calviniano*, vel (quod penè tantundem sonat) *Waldensi* furore Principis sui Sacerdotes duos, ipsas ad Aras sacra facientes, paulò ante trucidaverant: missos deinde ab eodem Principe, qui in tam nefarii Sacrilegii pariter atque homicidii reos pro officio animaduerterent, eodem furore, (an zelo?) occiderant; iamq; apertâ defectione invalescentibus perduellium copiis in periculo res esse videbatur, cùm accersitis ex vicinâ *Galliâ* subsidiis necesse habuit Princeps magnanimus juxta ac prudens, secando urendoque, in dies intumescenti malo occurrere. Et tamen nihilominus etiam Exterum Principem, eum q; Regis nostri consobrinum, in compescendâ suorum perduellione impigrum, per ignarorum ora ut crudelem traducere non veretur

tur *Bateus.* Qantopere verò ab Anglicanæ Eccleſiæ Proteſtantibus aberret, dum *Waldenſium* hæreſim *Reformatam Religionem* appellat, dicetur Capite ſequenti harum *Animadverſionum.*

§. XV.

Pag. 208. *Woodcokius capitis cauſam egit adeo dexterè, ut ſententiam eluderet.*—— Ita ille ab omni nominis honoriſue additamento vacuum ac nudum Lectoribus exponit virum illuſtrem *Thomam Woodcockium* Equitem auratum, conſtanti in Regem fide periculiſque obitis clarum. Eſt is *Proteſtans*, non *Papiſta* vel *Pontificius*: ut mirum ſit *Bateum* pleroſque à Secta ſuâ alienos aut perſtringere, aut certè flocci facere. Sint *Catholici*, ſint *Proteſtantes* licet, modò non ſint *Presbyteriani* de *Calvini* grege, *Batei* amici,

Æneid. 1. *Tros Tyriuſq, illi nullo diſcrimine agetur.*

Sed ut ut eſt, non debuit adeò contemptim nominare virum à Rege, præclarè pro ſe factorum toleratorumque memore, Equeſtri dignitate inſignitum multò ante quàm hujus *Elenchi* pars altera in lucem prodiit.

CAP.

CAP. II.

Bateus *perduellibus ac parricidis in* Elencho *ſuo paſsim favet.*

SI Cornelii Taciti monito paruiſſet Bateus, *incorruptam fidem profeſſis nec amore quenquam, & ſine odio dicendum eſſe*, næ ille tot Catholicis Proteſtantibuſq; de Rege benè meritis haud paulò æquiorem ſe præbuiſſet, abſtinuiſſetque ab illorum intempeſtivis laudibus operi ſuo inferciendis, vel, quod proximum eſt, ab eorum criminibus elevandis velandiſque quos poſteritas omnis execrabitur. *Hiſt. lib.* 1.

§. I.

PARTE I. pag. 17, 18. *Seueriores etiam (ſaltem pro temporis illius Halcyoniis diebus) incarcerationis auriumque mutilationis pœnas, quas paucis (quatuor ſcilicet vel quinque) Seditionis ſuſpectis, ſi non compertis, Cameræ ſtellatæ Judices irrogæverant, &c.* En quàm apertè primipilis factionis ſuæ Presbyterianis favet hic Scriptor,

Scriptor, dum inter *Halcyonios* illos tranquillitatis publicæ dies infensissimis Patriæ perturbatoribus, procellis ac turbinibus *severiores*, quàm par erat, *pœnas irrogatas* queritur: cùm reverà si primi isti funestissimi incendii concitatores, non carceribus aut præcisis auribus, sed patibulo capiteque seditionum ac tumultuum initià luissent, compressâ in cunis rebellione, stetisset integra eademque semper res Anglicana. Quid porrò aliud Lectori innuunt ista verba, *Seditionis suspectis, si non compertis*, quàm duriùs in hos sævitum, idque injustè, quippe ob solam seditionis suspicionem; an enim ejusdem *comperti* fuerint (quos tamen manifestò convictos fuisse constat) dubium relinquit.

§. II.

Pag. 51, 52. *Redeamus ad nostras* [*clades*] &c. *minori perfidiâ sævientes.* Parricidarum Anglorum perfidiam, quâ nescio quid fœdius, quid atrocius, quid immanius excogitari possit, Hibernicâ *minorem* pronunciare, cujus, non dico insaniæ, sed stuporis est? Etenim ad eadem, quibus ipsi pariter cum Anglis omnibus constricti tenebantur, juratæ obedientiæ vincula, *Solennis* istius cum Scotis *fœderis*, inter alia multa, de *Rege ejusque honore ac prærogativis omnibus cum vitæ fortunarumque jacturâ defendendis* jusjurandum Hiberni nunquam adjecerant, neque cùm Anglorum (ut ipsius *Batei* verbis utar) *grave jugum* excutere conarentur, violentas ipsi Regi manus inferre unquam meditati sunt, ideòque in perduellibus Anglis toties jurejurando iteratæ fidei violationem & jam tum ad inauditum Regicidium tendentium partium suarum

ſuarum ſcelera *minorem perfidiam* nominando, necquicquam elevat *Bateus*, neque eluet unquam Æthiopum omnium poſt hominum memoriam longè nigerrimos.

§. III.

Pag. 53. *Tabulas ſuperſtitioſas, quibus Chriſti Deiparæ Virginis, aut Sanctorum imagines depictæ erant, publicè magnâque cum ſolennitate igni & novo Martyrio devovent.* Si *ſuperſtitioſæ* fuerint hæ Tabulæ, cur tanquam malè factam à perduellibus Anglis memorat earum exuſtionem? Sed nimirùm quo facilius factionis ſuæ hominibus faveat, minuendo verbis eorum rabiem *ſuperſtitionem* his Tabulis affingit.

§. IV.

Pag. 64. *Factionis ſemina non diffiteri licet ab ipſâ Reformatâ Religione introducta in Angliam jacta fuiſſe. Nec eſt quod hinc Pontificii glorientur, qui cæteris præmonſtrârunt exempla, Regum Coronas & Sceptra mitræ Papali & Petri Clavibus ſubjiciendi; nec minùs Regibus infeſti adverſantur, quos deturbatos è faſtigio pugionibus Sicariorum confodiendos expoſuerunt.* Ringitur hîc *Bateus* dum propalam fateri cogitur *Perduellionis* (quam ille frigidius *Factionem* dicit) ſemina eâdem cum Reformatâ ſuâ Religione manu in hoc Regno jacta fuiſſe, & Catholicorum continuatæ erga Principes ſuos ubique terrarum obedientiæ gloriam, rancidâ illâ & jam penè obſoletâ Calviniſtarum calumniâ perſtrin-

git, quod *Regum Coronas & Sceptra Papali Mitra Petrique clavibus* ſubjecerint. Hoc verum ſi eſſet, iniquius certè ferrent Reges ſe Calvinianis, hoc eſt *Presbyterianis* de fæce plebeculæ Miniſtellis ſubjici, quàm, quem plerique Chriſtianorum in Europâ Regum Principumque reverentur, ſacrorum Præſulum omnium coryphæo. Sed neque vel *Papalis Mitra* vel *Petri Claves* ſuggeſſere unquam Catholicis doctrinam cruentam, quam vel unius ſeculi decurſu non docuiſſe modò, verùm etiam executos eſſe *Batei* amicos *Calviniſtas* perſpicuum æquis omnibus eſt. Reformatorum perduellium agmen ducat *Calvinus* ipſe petulci dux Gregis, qui in 6. *c. Dan. v.* 22. & 25. *Abdicant ſe*, inquit, *poteſtate terreni Principes, cum inſurgunt contra Deum: imò indigni ſunt qui in numero hominum cenſeantur; ideòque in capita potius eorum conſpuere oportet, quàm illis parere, ubi ſic proterviunt ut velint ſpoliare Deum jure ſuo.* Actum *Genevæ* in Conciliabulo fuit, de Franciſco II. Galliarum Rege, de Reginâ uxore, de Reginâ Matre aliiſque liberis, de Regni Optimatibus, ad Præfinitum diem, *Calvino* potiſſimum autore, trucidandis.

(a) Surius. 4. ad an. 1561. Petrus Carpentanus. Genebrardus in Chronol.

Zuinglius in Explan. Art. 42. *Quando Rex*, inquit, *perfidè & extra Regulam Chriſti egerit, poteſt cum Deo deponi, &c. magis verò cùm ſceleratos provehit, & innoxios prægravat, ut cùm inutiles ventres, otioſos Sacrificulos defendit.* An non eadem eſt hæc hodiè *Presbyterianorum* noſtratium vox & querela in Reges noſtros pro Epiſcopis ſemper propugnantes? Calviniſtarum Synodus *Bernæ* habita anno 1572. Decretum in hæc verba tulit: *Si Deo placuerit mollire corda Tyrannorum, eoſque mutare* (nempe ut Calviniſtæ fiant) *tunc bonâ cum voluntate omnes*

ſe

se ſubmittent iis, quos Deus nobis dedit Principes naturales. Si verò malum ſit inſanabile, & Divinæ voluntatis ſit eos exterminare; tunc ſi domino placuerit aliquem Chriſtianum (hoc eſt, Calviniſtam) *Principem ſuſcitare ad peccata iſtorum ulciſcenda, & populum ſuum liberandum, ei ſe Principi ſubjectos tradant, tanquam alteri Cyro Divinitùs ad eos miſſo.*

Goodmannus noſtras ſententiam referens omnium Miniſtrorum Angliæ, Rhætiæ ac Genevæ in lib. cui titulus eſt, *Quemadmodum ſuperioribus Magiſtratibus ſit obediendum* c. 9. *Quamdiu Principes* (inquit) *& Magiſtratus, &c. exteriùs curant Dei leges cuſtodiri & obſervari ab aliis, tamdiu debemus illis obedientiam: ſin verò audacter & ipſi Dei Leges tranſgrediantur, & aliis id ipſum præcipiant, tum perdiderunt eum honorem & obedientiam, quam aliàs ſubditi eis præſtare tenebantur; neque deinceps habendi ſunt pro Magiſtratibus, ſed puniendi tanquam privati homines.* Dein Cap. 13. 16. poteſtatem ipſos puniendi penes populum eſſe jure divino pronunciat in hæc verba: *Hoc Deus à vobis poſtulat; toti populo hoc onus incumbit, ut animadvertat in idololatram quemcunque: nemo excipitur ſive Rex, ſive Regina, ſive Imperator.* Ad hæc Knoxius, qui à Calvino dicitur [a] *vir inſignis, eximius, & frater ex animo colendus,* à Beza [b] *Evangelij apud Scotos reſtaurator,* à *Whitakero* [c] *ex* omnium Scotorum ſententia, *Spiritu Prophetico & Apoſtolico præditus,* Knoxius inquam, in Admonit. ad Nobil. & Pop. Scot. atque Angliæ, docet *ſi principes adverſus Deum et veritatem ejus tyrannicè ſe gerant, ſubditos eorum à juramento fidelitatis abſolvi.* Idem, *illud,* inquit *audacter affirmaverim, debuiſſe Nobiles, Rectores, Judices, Populumque Anglicanum, non ſolum reſiſtere & repugnare Mariæ illi Jeſabel, quam*

(a) Calv. Epiſt. 35.
(b) Beza Ep. 748.
(c) Whitaker. Coner. 2. q. 5. c. 13.

vocant Reginam ſuam; verùm etiam de eâ & Sâcerdotibus ejus, & aliis omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt mortis ſupplicium ſumere, ut primùm cæperunt Evangelium Chriſti ſupprimere. *Buchanani* deniq; in lib. *de Jure Regni*, anno *Chriſti* 1584. Parlamenti ſanctione damnato, atque hoc ipſo anno, quo hæc ſcribo, in Regno *Scotiæ*, ſeditioſo fine Anglicè reddito, meritoque proinde rurſum ibidem proſcripto ſolenni edicto 19. *Aprilis*, 1664. hujuſcemodi paſſim inveniuntur Oracula: *Populo jus eſt de Sceptro Regni diſponendi pro libito ſuo. Populus Principem in jus capitis vocare poteſt. Optandum eſt ut præmia à plebe decernantur iis qui Tyrannos occidunt, ut fieri ſolet iis qui lupos cædunt.*

Hæc eo fuſiùs quam pro harum *Animadverſionum* inſtituto hîc intexenda duximus, quod alius etiam non ita pridem ex eadem *Æſculapij* Scholâ inſulſus *Medicus Gulielmus Dentonus*, Phlebotomiam intempeſtivam adverſus Catholicos omnes Regi fidiſſimos repetitâ ineptiarum farragine, cruento ſcripto urſerit, ut conſtet non ex Catholicorum Scriptis ſed ex *Calviniſtarum* ſivè *Presbyterianorum* Scholâ prodiiſſe hanc regum ac Principum lanienam, cujus luculenta ubique etiam unius, ut dixi, ſæculi ſpatio exempla edidere *Reformati iſti*, plerumque *Preſbyteriani*, neq; enim omnino liberos ab hac ignominiâ *Lutheranos*, dixerim. Adverſus *Carolum* V. *Cæſarem* duos exercitus comparârunt ut imperio eum & vitâ exuerent. Steterunt in acie contra tres Chriſtianiſſimos Galliæ Reges *Franciſcum* II. *Carolum* IX. & *Henricum* III. *Mariæ Stuartæ* Scotorum Reginæ vincula procurârunt, & diuturno carcere confectam ſecuri ad extremum percuſſerunt. Ter adverſus alteram *Mariam*

am

am Angliæ noſtræ Reginam ſigna intulere. Sereniſſimum *Jacobum* Regem, *CAROLI SECUNDI* modò feliciſſimè regnantis Avum, etiam in ipſo Matris utero propemodum extinxerunt, qui proinde poſt hæc adultus ( )*Fiderem*, inquit, *meipſum potius immaniſſimis nemorum & montium latronibus, quam hujusgeneris hominibus*, nempe *Puritanis*, quos modò *Presbyterianos* dicimus. *Philippum* II. Hiſpaniæ Regem multis Provinciis in Belgio ſpoliârunt. *Chriſtiernum* Daniæ Regem exegerunt Regnis atque in clathratâ caveâ ad mortem uſque habuerunt. Poloniæ Regi *Sigiſmundo* regnum hereditarium Sueciæ ademerunt, eique *Carolum* Patruum ſubrogarunt. Denique Imperatori *Rudulpho* ſurripuerunt Tranſilvaniam, quæ ipſi tanquam Pannoniæ Regi debebatur. De *Genevæ* Antiſtite ejuſdemque ditionis Principe à ſuis expulſo, ſub ipſa reformationis Calviniſticæ initia, deque eorundem aliis alibi locorum in Reges Principeſve ſuos conſpirationibus nihil attinet dicere. Βασιλικὴ Δωρεὰ.

Recentiſſimæ memoriæ *CAROLI PRIMI* à *Presbyterianis* Scotis inauditâ perfidiâ venditi, atque ab ejuſdem Sectæ Anglis traditi *Independentibus*, qui eum palàm exhorreſcente orbe terrarum capite truncârunt, extat in hos præclarum pro Catholicis judicium in *Icone βασιλικῇ*, *Num.* 15. Quam ob rem ſicut ab iis quæ inepto parergo Hiſtoriæ ſuæ hîc infercit *Bateus* de *Papali mitrâ* & *Petri clavibus* neq; perniciosiſſimæ doctrinæ à Catholicâ Eccleſiâ, eam perpetuo execrante, Patrocinium, neq; toties à ſuis iteratæ ubique rebellioni paria exempla reperit: ita alienis exemplis perperàm & falſò traductis fruſtra Sectæ ſuæ infamiam minuere contendit, dum fateri cogitur *Factionis ſemina ab ipſâ ri-*

for-

formatâ religione suâ introductâ in Angliam jacta fuisse. Sunt enim Hæresis & rebellio sorores gemellæ, ex Diabolo patre, atque impietate matre, obstetrice pertinaciâ natæ.

§. V.

Pag. 65. 66. *Suspensiones, Privationes, Vincula, exilium regerunter ab Episcopis & curiis Ecclesiasticis. Sed odium in Præsules conflavit ista severitas, etsi Legum ad præscripta ferè exerceretur; & Anti-hierarchicis Misericordiam peperit, eoque majorem, quòd Conscientiæ gratiâ & purioris cultus desiderio luere viderentur, moribus severis essent, in concionibus vehementes, Precibus & piis officiis prompti, uno verbo, ad cætera boni*—— Severitate nimiâ in Presbyterianos *Batei* familiares jus omne prætergressos esse subinde Episcopos Curiasque Ecclesiasticas non obscurè innuit hoc vocabulum, *ferè*, cùm *ferè*, hoc est, plerumque, sed non semper ex Legum præscripto severitatem illam adhibitam fuisse queratur, ut legum nonnunquam, violatarum eoque illatæ partibus suis injuriæ culpam in Episcopos derivet. Delabitur deinde ex abundantia cordis ad eorundem Presbyterianorum laudes, cùm non modò visos esse dicat (aliis nimirum) hos *conscientiæ gratia & purioris cultus desiderio luisse* has pœnas, verùm etiam ex sensu suo addat extitisse eosdem *moribus severis, in concionibus vehementes, precibus & piis officiis promptos, uno verbo, ad cætera bonos.* Enimverò egregium *Presbyterianarum* laudum præconem, qui sic exaggeratas eorundem virtutes paucis verbis accumulat, neque interea meminit, quam continua sub idem tempus detractionis, arrogantiæ, censorii animi, perduellionis, odii atque avaritiæ documenta ediderint, subtiliorum

tiliorum criminum pleni, quamvis à crassioribus illis apertioribusque ebrietatis, libidinis & dejerandi vitiis se ferè abstinerent.

§. VI.

Pag. 114. *Gulielmus Prynn, (Custos veri, quod semel admisit, rigidusque satelles) ille fusissimorum pro Parlamento Scriptorum indefessus Autor, &c.* *Guliemum Prynnium* irrequietæ pervicaciæ hominem laudaturus *Elenchi* Scriptor inauspicatò incidit in virtutem *Prynnio* quàm maximè omnium adversam, *Veritatem*, cujus ille *rigidus satelles* non ut ejusdem *custodiendæ* administer dicendus erat, sed tanquam qui eandem torqueret semper & malè mulctatam ab se procul ablegaret. Sanè perpetua tunc mentiendi consuetudo ita invasit in hujus hominis tot *opera tenebrarum*, atque (per vim an potius dolum?) fusissimis illis pro Parlamento Scriptis obrepsit, insidetque constanter, ut vix *semel* veritatem admiserit, & ne *semel* quidem, ut ne sibi mox è manibus elaberetur, custodierit. Credibile est ab hoc tam *rigido veri satellite* partim hausisse *Protomedicum* nostrum malè consutas illas mendaciorum ineptias de (a) *grassantibus majori licentiâ tum Jesuitis, tum Sacrificulis in Cromwelli castris in foro, in pulpitis, &c.* de quibus infra agemus. Cæterùm est quod huic fusissimorum pro Parlamento Scriptorum indefesso Autori gratias habeant tabernæ Londinenses, cùm ejus lucubrationes modò passim

(a) Vide partem 2. Elenchi pag. 178.

(b) *Cordibus madidâ tegant papyro,*
Vel thuris, piperisque sint cuculli.

(b) Martial. lib. 3.

Est

Est hic illorum de numero, quibus *Seditionis suspectis, si non compertis severiores aurium mutilationis pœnas irrogatas* aliquando memorat hic *Elenchus* pag. 17. hujus primæ Partis.

§. VII.

Pag. 118. *Reclamant interea Ministri Presbyteriani Londinenses ferè omnes, & ex plurimis Provinciis plures*, &c. Reclamitârunt quidem Regicidio Ministri aliquot *Presbyteriani*: sed serò nimis reclamitârunt, cum penes ipsos nullo modo jam esset impendenteni Regiis cervicibus securim avertere. Cur non excitato in his Regnis anno Christi 1642. rebellionis incendio pariter reclamaverunt? Cur icto cum Scotis execrando illo fœdere calamitatum atq; exitii nostri, imò verò etiam tam immani Parricidio trucidandi Regis causa fuerunt? Ut mihi vir politissimus *Rogerius L'estrangius* (cujus calamus sepenumero istorum hebetavit audaciam) scitè pariter atq; ingeniosè dixisse videatur, (*) *Independentes quidem Carolum Stuartum trucidasse, sed Presbyterianos Regem interemisse.* Quippe à *Presbyterianis* exutum prærogativis omnibus, spoliatumque dignitate Regem *Independentes* nudum ac merum jam *Carolum Stuartum* securi percusserunt. Consonat his, quæ modò de *Presbyterianis* diximus, glorioſissimæ memoriæ Rex ipse cùm de iisdem ita loquitur; (‖) *quorum quidem nonnulli magna harum calamitatum causa, & vulnerum meorum extiterunt.*

(*) *L'estrange in his supplement, pag. 15.*

(‖) Εἰκὼν Βασιλικὴ. N. 24.

§ VIII.

PART. II. page 95. *Colonia Trinobantum; vulgò Colceſtria, & Pembrochia, Dimetarum Metropolis, (quamvis illa obſidioni ferendæ impar-ta) hoſtibus non parum negotii faceſſunt.* Cur hæc adeò curſim memorat, cum tot utrobique memoranda occurrerint? *Colceſtriæ* quidem certè prætermitti minimè debuit fortiſſimè defenſæ Urbe irritata perduellium rabies & ſanguiſugarum immanis ultio in eximios *Equites Carolum Lucaſium & Georgium Liſleum. Pembrochiæ* verò *Poyerii, Laborni, Powelli* expiandis primis erroribus tempeſtivæ fortitudinis documenta edita quorſum reticeri, ſileturque pariter *Nicolaum Kemiſhium* Equitem auratum, qui cum in *Monumethæ & Glamorganiæ* tractibus ſedulam Regi patriæque navaſſet operam in ipſius tandem *Cheſtolii Caſtri*, ab ſe acriter defenſi, aditu Regis odio eſt ab hoſtibus crudeliſſimè trucidatus?

§. IX.

Pag. 105. *Huius* (nimirùm à *Maſſeo* aliiſque deſtinatæ ex Scotiâ in Angliam irruptionis) *rei ſiſtuntur JENKINSIUS, CASEUS DRAKEUS, LOVIUS, aliique viri Eccleſiaſtici complures, præter Laicos GIBBONUM COOKIUM, POTTERUM*, &c. quos omnes à ſupremâ Juſtitiæ Curiâ morti adjudicatos, ſed irrogatam duobus tantùm fuiſſe refert hic Autor; reliquos verò pœnitentiam teſtatos gradatim poſthæc demiſſos. Ubi advertendum eſt

obiter Presbyterianos hos Ministros cùm hîc tum alibi, *Viros Ecclesiasticos* à *Bateo* dici, etiamsi ab Episcopis Ordinari renuant ac proinde ex Anglicanæ *Protestantinm* Ecclesiæ sensu tali nomine neutiquam cohonestandi sint. Hujuscemodi ille *viros*, si Deo placet, *Ecclesiasticos* in primâ hujus *Elenchi* parte, *pag.* 65. laudat tanquam in *Concionibus vehementes*, hoc est, reverâ in perduellione provehendâ fovendoq; incendio impigros, qualem se *Caseus* iste egregiè præstitit, ut constat ex eorum Autorum lucubrationibus, * quos hîc ad oram marginis Annotavimus.

* Presbytery displaid *Evangelium armatum.* The History of the wicked plots and conspiracies of our pretended Saints.

De *Lovio* verò (cujus suppudere *Bateum* videtur, cùm ejus nomen dum *Uxbrigianæ Concionis* hoc loco meminit, quasi de industriâ cælet) an non moderatiùs multò hîc loquitur quàm pro eorum merito, quæ præcludendæ *Uxbrigiæ* Paci fovendoque patriæ incendio insolentissimè effutiit? Siquidem *Concione* tantummodò *intempestivâ temerè invectum* ait, quem nihilominùs fatetur ipse *Presbyterianos* suos *Christum profitentes*, Regios verò omnes *Anti-christi Sectatores* nuncupasse. Perstitit omnino usque ad extremum spiritum obfirmata hæc eadem *Lovii* pertinacia, cùm securi feriendus propinquâ jam morte circumstantis vulgi Coronam alloquutus est in hæc verba: * *Equidem vitam omnem fortunasque meas pro Parlamento adversus Regias Copias perpetuò oppignora-*

* I have all along engaged my Estate and Life in the Parlaments [illegible], against the Forces raised by the King, I gave my All, and I did not only deem it my duty to preach for the lawfulness of a defensive War, but I contributed all I had. —— And now my Life is endeavoured to be taken from me. — Yet for all this I repeat not of what I have done ——— I die, cleaving to all those Oaths, Vows, Covenants, as owning them, and dying with my Judgment for them. *V. Love's Tryal anno* 1652.

vi

vi. Omne meum impendi; neque mei muneris tantummodò fuisse arbitratus sum, pro defensivo bello tanquam legitimo concionari, sed quicquid habui etiam in commune contuli. —— *Jamque agitur de me hac luce orbando.* —— *Attamen non me facti pœnitet.* —— *Morior omnibus illis Sacramentis, votis, fœderibus affixus, quippe qui ea comprobem, eodemque pro illis judicio moriar.* Neque minus *Jenkinsio* fuit *Bateus* dum silentio præterit inhonestam illius *Petitionem*, in quâ [b] *agnoscit Reipublicæ Anglicanæ Parlamentum absque Rege, Supremam esse in hac Natione Autoritatem.*

[b] *Vide* Pe vs Book, p. 1381. anno 1652.

.X.

Pag. 188. *Dux* [Subaudiæ] *militibus immissis Reformatæ Religionis complures ex ædibus propriis, non sine cæde ac sanguine, exturbârat.* Hæc adeò temerè, etiam in exterum Principem eundemque Clementissimi Regis nostri consobrinum apprimè charum, effutientis *Batei* iniquitatem suprà castigavimus. Dispiciendum nunc est, quàm amicè *Pedemontanorum* rebellium contumaciæ *Reformatæ Religionis* velum obducat, nullâ planè Protestantium Angliæ (quorum de numero se esse profitetur) dogmatum, à *Waldensium* istorum hæresi tantoperè discrepantium, ratione habitâ. Quinetiam quos perduellium omnium post homines natos scelestissimus *Cromwellus* tam impensè fovit tanquam fœderatos suos, hos hodiè superstes *Cromwelli* Protomedicus dum *Reformatæ Religionis* laude celebrat, continuato fœdere sibi oppidò devinctos habet, unàq; cum his Sectariorum nostratium, hoc est, *Anabaptistarum, Independentium, Lævigatorum, Tremulo-*

cumcolluvionem omnem, quorum præcipua placita cum *Waldenſium* Hæreſi communia ſunt. Siquidem tenent cum *Petro Waldo* anteſignano ſuo *Reformati iſti*, * *Neminem eſſe majorem altero in Eccleſiâ, ac proinde ſoli Deo obediendum: Omnem bonum Laicum Sacerdotem eſſe; & tum mares tum fœminas ſacroſanctam Euchariſtiam conficere & prædicare poſſe: Dandas non eſſe Eccleſioſticis decimas: populos non eſſe in parochias dividendos: Prælatos eſſe Scribas: Deum non habitare in Eccleſiis manufactis quas proinde tanquam horrea æſtimant: Excommunicationem non eſſe curandam, Eccleſiæ cantum eſſe infernalem clamorem: Nunquam eſſe jurandum & qui cogit jurare vel in judicio, vel quâlibet aliâ occaſione plus eſſe quàm homicidam:* Denique, quæ *Bateo* ſive de *Meretrice Babilonicâ* ſubinde garrienti, ſive *Meretrices Londinenſes* diſſuadenti ſpeciatim arrideant duo, † *animum Romanam Eccleſiam eſſe Meretricem Apocalypſis*; & *Continentes non peccare per oſcula, amplexus, mamillarum tactus*, &c. Hæc ſunt *Waldenſium* dogmata, hæc *Bateo* noſtro *Sabaudiæ* perduellibus palpanti *Reformata Religio eſt.* Notandum eſt obiter *Cromwellum* hîc, quòd *Pedemontanis iſtis* in rebellione fovendâ opitulatus ſit, à *Bateo* minimè perſtringi, ſed quod pecuniæ illorum in gratiam collectæ *maximam partem in alia tempora & occaſiones reſervarit*, ſeu potius (quod verius eſt, habeturque in priori hujus *Elenchi* editione anni 1662) *aliis uſibus deſtinaverit.*

* Guido, & Antoninus de Waldenſib. Æneas Sylvius in Bohemicâ hiſtoriâ de Waldenſium dogmatib. Luxem. in hær. Paup. de Lugduno, Illyricus in Catal. Teſtium Veritatis. Spondan. Continuatio Baronii, anno 1198.

† Vide quæ ſupra noſcendus, cap. 1.

CAP.

CAP. III.

Partium studio à Bateo *Prætermissa complura memoriâ dignissima.*

SI libitum *Bateo* fuisses ex statutâ Historicis * lege hunc *Elenchum* conscribere, næ ille non modò *nihil falsi dicere auderet*, sed etiam *nihil veri dicere non auderet*; neque illustrissimorum Heroum, quos magno numero suppeditavit Anglia Regiæ causæ acerrimos propugnatores, rerumque ab illis præclarè gestarum memoriam oblivione sempiternâ delendam modò censeret. Sed nimirùm familiarium suorum offensionem veritus minutissima quæque à Parlamentariis, in *Scotiâ* præsertim *Hiberniâq*; patrata quàm accuratè memorat, & hominum in illis Regnis, Regis hostium, locorumque nomenclaturis creberrimis confercit *Elenchum* suum. Quæ in *Angliâ* præcipuam commemorationem merebantur, in quibus vel Catholicorum, vel Protestantium Regi fidorum singularis enituit virtus, invidioso silentio supprimit. Hinc illi in Scotiâ *Dunbatha*, *Musclebrugum*, *Baradonum*, *Penlandiæ montes*, *Colingtoni ædes*, *Rubrum ædificium*, *Hadina*, *Lemuriæ montes*, *Copperspitum*, *Leitha*, *Foderia Fortha*,

* Cic. de Orat.

Fortba, Iedburgum, Darletoni ædes, Roſlanum, Tantalloni caſtrum, Hunnii caſtrum, Calendarii ædes, Torwooda, Incbigarvium, Blackneſſiæ caſtrum, Bruntilandia, pler que obſcurioris famæ loca, rebellionis ſucceſſus exaggeratè accumulant. Hinc illi *Cromwellus, Argatbelius, Straughanus, Lambertus, Grayus, Haſelriggius, Fenwicus, Overtonus, Wbeleus, Harriſonus,* hoſtilia atque infamia nomina, pagellas implent.

In *Hibernia* verò locorum ſaltem octoginta cenſu habito, Fortunæ infenſæ, Martiſque Regiis adverſi veſtigiis ſtudioſè dili, e terque conſignata omnia, cæteroqui ſatis ignobilia, invenio. Hîc *Joneſius, Cootius, Reynoldus, Venablius, Aiſcovius, Iretonus, Cromwellius, Huſonus, Shelburnius, Blakius, Popbamus, Pharius, Zankius, Nelſonus, Ingolsbeius, Ewerſius, Culbamius, Axtelius, Corbetus, Ludlowus, Weaverius, Fleetwoodus, Cookius, Hammondus, Goodwinus, Steelus, Berrius, Pepius, Hillus,* ſævientis in nos fortunæ ludibria (an potius à peccatis noſtris irritato Numine immiſſi vindices?) cæteroquin ex Hiſtoriarum monumentis obliteranda vocabula, magnâ operis parte Lectorem infeſtant.

Quocirca conſideranti quàm rara, horum omnium comparatione, ſive illuſtrium Virorum ſive rerum locorumque in Angliæ regno memorabilium mentionem faciat *Bateus*, inſcribenda videbitur hæc ejus malè concepta lucubratio, *Elenchus Motuum Nuperorum in Scotiâ* vel *Hiberniâ*, potius quàm in *Angliâ*. Num ille vel unum in *Angliâ* noſtrâ præfectum Regio Exercitui ducem nominat, qui *Eſſexii, Fairfaxii, Cromwelli*, & cæterorum primariorum hoſtium toties meminit?

Num vel ſemel *Ruperti* altâ indole Regioque ſan-

ſanguine procreati Principis, niſi inter maritima, meminit, à quo tamen ſæpiſſimè fortitudine audaciâque ſummâ commiſſa prælia, perruptas confertorum perduellium acies, profligatas ſecundiſſimo Marte hoſtium copias recordatione juſtiſſimâ celebrabunt poſteri? Num *Mauritium* Principem ejuſdem germanum, germanâque virtute æmulum vel ſemel inter armorum facta (maritima excipio) memoravit? Num denique aut *Ruvenum Bransfordiæ Comitem*, aut *Wilmottum Comitem Roffenſem*, aut *Digbæum* modo *Briſtolii* pariter *Comitem*, aut *Hoptonum*, *Aſbleum*, *Bironum*, *Gerardum*, *Goringum*, *Loughburgum*, *Barones* omnes, Regiorum exercituum Duces inclytos, & *fortia bello pectora*, aut horum aliquem vel ſemel *Elencho* ſuo intexere dignatus eſt? *Marmaducum Equitem*, eundemque deinde *Baronem Langdalium*, celeritate, conſilio, fortitudine fractis ſæpiſſimè profligatiſque hoſtibus clarum, ſemel duntaxat, idque inter clades, nominat.

Cæterùm quorſum noſtratium poſteritati invidit *Bates* tot egregia Anglorum Procerum morte pro Rege patriâque obitâ illuſtrium exempla, quæ ille ſemper ſtudioſè reticet, quamvis vel ipſo invito aliquando itura in meliorum hoc *Elencho* annalium monumenta, & dies noctesque nepotum animos ſynceræ gloriæ ſtimulis concitatura, atque admonitura vitam ipſam paratiſſimè pro Deo, pro Rege, pro Patriâ profundendam eſſe. Quis aut trium *Stuartorum* fratrum, non Regio natalium ſanguine, quàm morte in ipſâ acie pro Rege fortiſſimè oppetita illuſtriorum, nempe *Georgii*, *Albignii Comitis*, *Joannis* proximi hujus germani, & *Bernardi*, *Lichfeldiæ Comitis*; Quis aut *Franciſci Villerii*, *Buckingamiæ Ducis* fratris, ſpectatiſſimâ virtute adoleſcentis, aut *Lindeſeii Comitis*,

mitis, Regiorum Exercituum in his *Naperis Motibus* Ductoris primi, præstantissimique, aut *Northamptoniæ*, *Denbighiæ*, *Sunderlandiæ*, *Kingstoniæ*, pariter *Comitum*, aut denique *Vicecomitis Falkelandiæ*, aliorumque plurimorum ex Nobilitatis Anglicanæ flore consignatam cruore famam fileri ubique in Angliæ *Motuum Elencho* posse sine piaculo credat?

At verò *Marchionem Vieuvilleum* Gallum, gratissimâ utique recordatione inter oecumbentes pro Rege nostro viros fortes memorandum, *Robertum Carnarvoniæ Comitem*, imperterriti animi bellatorem, illustrissimum *Dunbarrii Vicecomitem*, *Joannem Smithæum Equitem auratum*, Regio Labaro in *Edgillano* prælio incredibili fortitudine recuperato notissimum, *Henricum Gagium* etiam *Equitem auratum* & Gubernatorem *Oxoniensem*, *Joannem Digbæum*, *Petrum Brownum*, *Troilum Turbervillum*, similiter *Equites auratos* omnes, omnes magnarum animarum pro Rege prodigos, (quibus annumerandi etiam *Nicolaus Fortescutus Melitensis Eques*, *Thomæ Howardi* duo, *Thomas Morganus Westoni* Dominus, *Cuthbertus Conietus*, *Gulielmus Eurem*, *Cuthertus Cliftonus*, *Richardus Manningus*, aliique plurimi magno nomine Tribuni, ut omittam inferiori gradu militum ductores inclytos) Hæc, inquam, *Catholici* nominis ingentia decora silentio præteriisse *Bateum* non est mirum, quippe hominem malè lippum, inunctis oculis *Catholicorum* gloriam intueri, famamque atterere ubique solitum. *Joannem* porrò *Cansfeldium* item *Equitem auratum*, eundemque *Catholicum*, magni animi virum, in altero *Neoberiensi* prælio irruentis in Regem ipsum, Principemque, hostis impetum, inter-

posita

positu corporis sui, duobus etiam periculosis vulneribus acceptis pertulisse, Regemque unà cum filio *CAROLO*, modò Angliæ delicio, incolumem ac salvum præstitisse, ipsius *CAROLI PRIMI* hæc attestantis chirographo freti memorabunt posteri; dicentque quantumvis licet ringente *Batei* invidiâ, auxiliarem Dei dexteram *Catholicis* bis in conservando Regum optimo speciatim affuisse, nempe in *Neoberiensi* hoc prælio, & in recessu à *Vigorniensi* cladè.

Venio nunc ad loca ipsa, camposque magnarum animarum exuviis plenos, in quibus nimirùm non ita pridem videre erat tot *Anglorum* Nobilium

Corpora semineceſque viros, tepidumque recenti
Cæde locum, & plenos ſpumanti ſanguine rivos. Æneid. 9.

Siquidem *Bellum Anglicum* acie instructâ consertisque manibus plerumque gestum nobilitavit ea loca, quæ non minùs in *Anglicorum* præsertim *Motuum Elencho*, à *Bateo* nominanda erant, quàm quæ illi in *Scotiâ*, *Hiberniâque* visa sunt memoriâ digna. *Edgehillum*, *Bransfordiam*, *Neoberium*, *Auburnum*, *Marstonium*, *Treuronium*, *Rowtonium*, *Naisbeiam* exilia nimis præ *Scoticis* illis *Hibernicisque* duxit; proin hæc ille omnia totò opere prætermisit. Expendendum modò est quid occæcante hominem invidiâ, veluti datâ operâ, magis quàm incuriâ, speciatim omittendo peccet.

§. I.

PARTE I. pag. 42. *Duorum Marchionum emicuit Fides & Potentia, Hertfordiæ &*

Novi-castri; *quorum primus non contemnendam Belgarum manum secum attraxit*; *alter, sumptu ferè proprio, justum Brigantum eduxit exercitum.* Cur tertium omisit, nempe *Excellentissimum Vigorniæ Marchionem*, duobus jam nominatis vel *Fide*, vel *Potentiâ* nihilo inferiorem? Si enim *Fidem* spectes, notum est passimque jam pervulgatum *CAROLUM PRIMUM* glorioſissimæ memoriæ Regem, in *Australi Walliâ*, atque adeò in ipsa *Raglandii* arce, hoc est, *Marchionum Vigornienſium* sanè magnificâ munitâque sede, post *Naisbienſem* cladem lætissime exceptum salutanti se *Henrico Marchieni* in hæc verba, *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*, respondisse illico, *Non inveni tantam Fidem in Israël.* Et verò ab ipsis *Motuum* nostrorum primordiis, etiam necdum planè adultâ rebellione, cùm Rex se tumultuanti jam *Londino* tempestivè subduceret, frigentibus, quà *Eboracum* versus tendendum illi erat, instabilis vulgi studiis, neque vel veredos vel victum hospitiumque nisi enumeratâ pecuniâ ministrantibus, affuere quotidiè à *Vigornienſi* Marchione affatim auro instructi, qui pro Rege ejusque assectis omnibus itineris expensa solverent.

Indidem quoque mox primo Regis equitatui conscribendo *Joanni Birono*, *Equiti aurato* Tribunoque, postmodùm *Baroni*, persoluta quinque millia librarum sterlinarum testantur etiamnum qui interfuerunt. Bis ab *Edvardo* modò pariter *Vigorniæ Marchione & Glamorganiæ* Comite conflatæ propriis sumptibus justum *Cambrorum* Exercitum, profusam in Regiâ causâ pecuniæ vim tam immensam, & fortasse quantam ab alio nemine, tot eximiâ men-

ti

tis constantiâ exantlatos labores, carceres, vitæque discrimina, tam perennia egregiæ in Regem optimum *Fidei*, atque observantiæ argumenta edita cur inter aliorum Marchionum præconia, occasione oblatâ, reticuerit hujus *Elenchi* scriptor, haud difficulter conjiciet, quisquis *Calviniana*, in *Catholicos* Angliæ Proceres præclarè de utroque Rege meritos, invidiæ iniquitatem non ignorat. *Potentiam* verò *Marchionum Vigornensium*, in eâ præsertim Magnæ Britanniæ parte, quam retinuere semper belli pacisque artibus promptissimi indigenæ, ignorent illi, quibus familiæ in universâ *Walliâ* principis splendor, opes, magnificentiâ *Edvardi Vigorniæ Marchionis* suavitate ac munificentiâ singulari aucta necdum innotuere.

Hîc ego inter cætera à *Bateo* prætermissa, meritissimasque Marchionum laudes *Wintonienſis* Anglorum Marchionum primi meliori præcone dignissimam in *Basingano Castro* suo ad extremum defendendo virtutem utique memorarem, nisi & de belli initiis hîc sermo esset, & *Basinganæ* obsidionis Diarium *Oxonii* editum Typis *Leonardi Lichfeldii* an. 1644. egregiâ posteris cùm à Marchione ipso Catholico, tum à Prasidiariorum multis pariter *Catholicis* fortitudinis exempla edita transmisissent.

§. II.

Pag. 138. *Hamiltonium Ducem ac Hollandiæ Comitem & inter Regios planè Heroicum Barenem Capel consimilis Fori judicio capite plectiunt.* Cur neque *Nordovici Comitis* egregii eâdem cum istis supplicii expectatione implicati hîc meminit, neque fortissimi viri *Joannis Owenii Equitis aurati*, *Cambricæ* militiæ decoris, capitali item sententiâ

tentiâ in eodem Foro eodemque tempore damnati, sed ex mortis faucibus ægrè demum erepti, (cujus in illo articulo alacritas & constantia mirum astantium omnium plausum habuit) Cur, inquam, horum neutrius meminit, nisi quòd Præcipuo perduelles & Sectarios illos, quorum è numero *Protomedicus* hic *Elenchi* Autor tunc erat, odio semper prosecuti sunt hi præclari viri?

§. III.

PARTE II. Pag. 111. *Cui promulgationi debitum ut præstarent obsequium, brevi post adsunt Franciscus Baro Talbottus, Comitis Salopiæ filius natu maximus cum Equitibus sexaginta, &c. Thomas Horniholdus cum quadraginta &c. Gualterus Blountæus, &c.* Minimè advertit hic Autor *Catholicum* hunc, unicum omnium Angliæ optimatum fuisse, qui Regis ad Edictum in illo articulo *Vigorniæ* cum non contemnendâ equitum peditumque manu, quorum multi insignis notæ *Catholici* comparuerit. Non hic loquor de clarissimâ nobilitate Anglicâ, quæ vel Regem jam inde ex Scotiâ, vel *Darbeium Comitem*, ex *Mannia* insulâ comitata fuerat. Quippe invidet Viro Catholico, *Francisco* modò *Salopiæ Comiti* dignam *Talbottorum* Heroum celebratis olim tropæis gloriam *Elenchi* Scriptor, eademque occasione, meritissimò nominatos, *Gualterum Blountum Equitem auratum, & Thomam Horniholdum* virum nobilem, *Catholicos fuisse* silet.

§. IV.

§. IV.

Pag. 115. *Dum Rex elabitur, Comes Clivia, Jacobus Hamiltonius Eques, Tribunus Carlisius, aliique nonnulli Regiæ Majestati fidissimi, cum reliquiis equitatûs redintegrato prælio* Sudburii *circa portam distinere tantisper hostem,* &c. Præstantiores *Bateo* laudatores meruisse semper iliustrissimum *Clivia Comitem* nullus dubitat. At *Jacobum Hamiltonium* Equitem, & *Carlisium* Tribunum, spectatissimâ fortitudine fideque Viros *Catholicos* fuisse cur cælat?

§. V.

Pag. 122. *Conscenso frondosi roboris cacumine, diem in edito insumunt, effuso post longas vigilias in somnum Rege super brachia & in gremio Carlisii.* Ringatur licet *Elenchi* Scriptor, invideatque *Catholico* nomini conservati in celebri Quercu *CAROLI SECUNDI* æternam famam; glorioſam certè *Gulielmo Carlisio* Tribuno, additis in posterum gentilitiorum ejus insignium crista *in frondosâ quercu Sceptro Coronâque,* Epigraphen hanc Rex ipse benefacti memor concessit: SUBDITUS FIDELIS REGIS ET REGNI SALUS.

§. VI.

Pag. 143. *Mannia sequitur; hæc etiamsi fœmineâ defensa virtute (Darbeia scilicet Comitissa)*

id tamen decoris præripuit viris, &c. Magni sane animi minimèque fœmineæ fortitudinis in duabus fœminis egregia exempla bello nostro illuxerunt: quarum alterius laudem hîc breviter strictimque semel attingit *Bateus*; alterius verò, nempe *Mariæ Howardiæ Winturriæ Norfolciensium Ducis* proavo oriundæ, & *Joannis Winturrii Equitis aurati* ejusdemque à Secretioribus Epistolis *Serenissimæ Reginæ Matri* lectissimæ uxoris ne semel quidem in toto *Elencho* nomen legitur. Hæc nisi esset *Catholica* digna forsitan *Batei* commendatione videri posset. Dicam tamen paucis quid fecerit, neque committam ut gratiæ detum, quod tribuendum est veritati videatur. Magnum illa jam tum cum constantissimæ fidei marito in Regium nomen causamque studium testificata nimiùm quantùm perduellium in se odium concitaverat, qui proinde, absente atque pellendis ex *Gloceſtrenſium Sylvâ Danicâ* hostibus occupato marito, facilè expugnandum fœminæ animum rati, in *Lidneianâ Winturriorum* arce cum modico præsidio ab omni commeatu intercluſam contractis undique copiis obsident. Illa nihil territa promptis obsessorum manipulis ac Deo potissimum freta se acerrimè defendere, & modò hostem ingruentem repellere, modò prædæ inhiantis ingluviem militari artificio eludere donec *Winturrii* mariti tanquam interempti ostenso equo postulatâ deditione, simulato malo obfirmatum infractumque animum nec quicquam se tentare tandem animadvertunt. Quocirca fatigato demum hoste coactoque obsidionem cum ignominiâ solvere *Winturrius Eques* ingenti animo, hortante spectanteque conjuge, maluit admotis ab se flammis, quàm perduellium usui devovere clarissimæ familiæ per antiquam Sedem.

An-

Annumeranda his meritò esset ejusdem *Winturrii* Equitis Matertera, Illustrissima *Blanca*, virili animo fœmina, & *Henrici Arundelii Wardorii* Baronis cùm eximiæ indolis virtutisque, tum notissimæ in Regem fidei viri, mater, si libuisset *Rateo* meminisse *Wardorii* castri fortissimè ab illâ defensi adversus Perduellium oppugnationem sub *Edwardo Hungerfordo* Equite.

§. VII.

Pag. 168. *Eodem tempore inter Belgas Wiltoniæ circiter trecenti, sub auspiciis Wagstaffi, Instructoris Exercitûs, insurgentes, in Sarisburiam irrumpunt, &c.* —— *Josephum Wagstaffum* Equitem auratum restituendo Regi excutiendoque perduellium servili jugo magna molientem, Regi inter fidos posterorum memoriæ meritissimò commendandum, quis neget? *Ioannem* verò *Owenium*, & *Henricum Lingenum* ejusdem Equestris Ordinis clarissimos viros in eadem causâ haud minora sæpe molitos, fortiaque agere & pati ausos, cùm in *Aquilonari Cambriâ* tum in *Herefordiensi* agro, tametsi *Protestantes*, præterire in hoc *Elencho Batens* nequaquam debuit.

Hæc de iniquissimi Scriptoris affectatâ in partium suarum gratiam reticentiâ modò dicta sufficiant. Veniò tandem ad ejus rumores vanissimos & manifesta mendacia.

CAP.

CAP. IV.

Ex fece plebeculæ à Bateo *collecti rumores & mendacia.*

Mendacii à quolibet homine ingenuo, nedum Hiſtorico, prolati ea eſt fœditas, ut perſuaſum omnes habeant graviſſimum ſanè appellatione. Mendacis convicium probrumque contineri. *Quibuſdam* verò, ut *Lucii Senicæ* verbis utar, *mendacium obrepit, quibuſdam placet. Illi non evitant, hi appetunt. Bateo* certè quantumvis licet patulis auribus rumuſculos omnes excipienti, atque in *Elencho* iſto partium ſuarum in gratiam conſarcinando jam diu excubanti perplacuiſſe ſæpius conquiſita mendacia dixeris, quàm aliud agenti obrepſiſſe. Argumentoſit tetrum, horrendum, ingens illud duplicis in unâ narratione Mendacii monſtrum, atque eo immanius quo deliberatius; quippe poſt bis vulgatum ſine *Mucquirii Baronii* mentione aliquâ *Elenchum* ſuum, tertiæ tandem, hoc eſt poſtremæ (quam nos ſolam in hoc *Animadverſionum* noſtrarum opuſculo ſequendam duximus) editioni, hæc de ejus ſupremis verbis ingeſſit. Ne gravare, mi Lector,

Natural. Quæſt. lib. 7 cap. 16.

rem

rem totam verbum è verbo ex *Bateo* accipere.

§. I.

PART. I. Pag. 4. *Non eſt diſſimulandum ſtantem jam in ipſo mortis confinio* Macquirium, *laqueo ſcalis in mediis, quibus crux aſcenditur, gulæ injecto,* à Vicecomite *per ſupremum* Dei *tribunal, coram quo brevi ſiſtendus erat, per Conſcientiam, quam aliàs exonerare non potuit, adjuratum eſſe, ut ſi quos nôrit criminis ejuſdem* (nempe Conjurationis Hibernicæ) *reos aut conſcios, ingenuè fateretur. Ille* Regem Carolum *nominatim abſolvit ab omni notitiâ hujus; & præterea ſanctè profeſſus eſt,* Anglorum *neminem, uno* Romano-Catholicæ *Fidei excepto, participem facti. Quod idem ſcalis ille dejectus, cùm ſuſpendii pœnas degustaſſet, ſublevatus aliquantiſper, ſpe non obſcurâ veniæ factâ, parùm deſiit proteſtari.* Vel hinc diſce, Lector, quæ ſit huic *Elencho* adhibenda fides. Affirmat *Bateus Macquirium ſanctè profeſſum eſſe, Anglorum neminem, uno Romano-Catholicæ fidei excepto, participem facti,* hoc eſt, Conjurationis Hibernicæ, fuiſſe. *Macquirius* contrà, prout authenticis monumentis compertum habemus, ait ſe *neminem in Angliâ facti conſcium nôſſe, niſi unum duntaxat, eumque & Hibernum & Proteſtantem.* Enimverò authoritate publicâ literis prodita penes nos etiamnum extat *Macquirii* mortis *Narratio,* in quâ *Vice-comes Gibſius* eundem propinquâ jam morte, quippe inſertâ laqueo cervice, allocutus eſſe dicitur in hæc

Before you dye we desire but one Question, and that is this, whether there were not some agreement made by the Commissioners that came over out of Ireland before the Rebellion first brake out.

verba: **Unum hoc duntaxat, priusquàm moriaris ex te scire avemus; nimirùm pacti fuerint Delegati ex Hibernià huc ante appulsi quàm rebellio erumperet, fœdus aliquod cum Recusantibus* (Catholicorum hæc hodiernis Angliæ legibus nomenclatio est) *hic in Angliâ existentibus, necne? An non porrò ulteriùs consulturi reaierint?* Ad quæ *Macquirius Baro* sic respondit: *Ego verò jamjam moriturus testor me neminem ejus conscium in Angliâ sive Catholicum sive Protestantem scire, uno duntaxat excepto, qui & Hibernus erat, & verò etiam Protestans, cui porrò fortuitò res innotuit, &c.* Quid hoc homine faciat

with the Recusants here in England, and whether they did not come back for further advice? To which my Lord answered, I take it upon my death, I do not know that any man in England either Catholick or Protestant knew of it, but one, and he was an Irish-man and a Protestant, who came to know of it but by chance, not as he was an actor in it. See his last Speech and Confession printed by *Jane Coe*, 1644. and published according to order.

hæc mendaciorum portenta in *Catholicos Anglos* tanquam conjurationis *Hibernicæ* conscios, quam semper execrati sunt, tam impudenter confingente? Hæc palàm ad *Tiburni* furcas dicta cum sint, coram ingenti multitudine, quæ ad spectaculum confluxerat, atque ab astantibus proximè compluribus excepta, denique publicâ, ut dixi, authoritate typis edita; cur sic æneam modò frontem induit hic *Elenchi* Scriptor, ut mendacio duplici *Anglum*, pro *Hiberno* (cui etiam fortuitò solùm rei notitia contigit) pro *Protestante*, *Romano-Catholicum* substituat?

lib. 5. cap. 1. Quin igitur quod apud *Laertium* * *Aristoteli* unicum mendacibus lucram tribuit, nempe

ver

vera loquentibus non credatur, hoc ego à *Bateo* Lectoribus jure deinceps postulo, maximèque ut reliquum ejus *Elenchum*, quoties de *Catholicis* agit, suspectum habeant falsitatis?

§. II.

Pag. 65. *Insufflantibus utramque partem* (Protestantium scilicet Regiorum, & Parlamentariorum) *Pontificiis & malè feriatis, &c.* Et mox: *Opprobria & famosi Libelli jactantur ab Anti-hierarchicis, vel, horum nomine, Jesuitis.* Quàm infelicibus commentis hîc allaborat, ut Seditionis labem Catholico nomini aspergat? Quin *Calviniſtis* & *Presbyterianis* suis *malè feriatis* hominibus, quippe nimiùm epoto Seditionis atque arrogantiæ *Spiritu* jam tum ebriis, tumultuum nostrorum illa initia potius ascribit, quos depositis tandem larvis propalàm in funestissimâ hîc Scenâ omnium creberrimos comparuisse nemo inficias eat? Horum infelices rabulæ, (an ex Averni stagnis coaxantes ranæ?) obstrepentibus vocibus interturbaverunt pacatissimi Regni harmoniam. Hi *Papam*, *Anti-Christum*, *Babylonem*, *Jesuitas* continuò è pulpitis inclamantes incautæ plebeculæ credulitati illusere, ut atrocissima quæque de *Pontificiis & Jesuitis* quantumvis licet innocentibus, arrectis auribus animisque promptis exciperent, & venditarent deinde dignas *Bateo* Historico hujusce modi de *Pontificiis & Jesuitis* nænias & nugas. Qui nullo planè autore fultus audacter affirmaret *Insufflasse utramque partem Batæum*, *Cromwelli* mox futurum *Protomedicum*, *libellosque famosos* tunc jactasse, an non ridendus *Bateo* ipsi videretur? Rideamus & nos æquo jure *Protomedicum* nostrum, non alio fundamen-

to quàm rudis ignarique vulgi rumoribus hujusmodi ineptias venditantem, à quibus ut deinceps se cautè abstineat, audiat haud paulò melioris se Historici || hoc monitum: *Qui eximia quædam argumenta sibi deligunt, sed temerè ac negligenter ea tractant, quibusvis rumoribus creduli, nullam inde laudem referunt.*

|| *Dionys. Halicarn. lib. 1. cap. 1.*

§. III.

PART. II. Pag. 47. *Episcopus Fernensis* [*Limerici*] *aliique multi suspendio plectuntur.* Idem habet prior Editio, & utriusque cum Indices, tum oræ marginum, ut toties repetitum hoc de *Fernensis Episcopi* suspendio mendacium non obrepsisse modò *Bateo*, sed perplacuisse etiam constet. Atqui Veritas, tuam fidem! quàm aperta enim minimèque ferendâ te falsitate violat *Elenchus* iste? Neque *Limerici* neque uspiam suspendio plexus est *Episcopus Fernensis.* Vivit etiam hodie, dum hæc scribo, idem omnino qui tunc erat, cùm *Limericum Iretonus* conscelleratam animam propediem inibi exhalaturus expugnavit, *R. D. Nicolaus Fernensis Episcopus.*

§. IV.

Pag. 170. *Grandem sibi adscivit & palmarium proditorem nomine* Manningum, *cujus pater in Regiâ causâ tutandâ conciderat; ipse quoque olim sub Rege meruerat, ac pede vulneratus est; generoso sanguine oriundus & Religione Pontificius: qui tamen ut acceptior fieret, gradumque futuræ proditioni poneret, Deo velut illudere ausus, Sacram Synaxin juxta ritus Anglicanos suscepit.*

pit.—— Grande ſane ac palmarium mendacium, quodque autori fidem omnino abroget. Quî enim fieri potuit ut *Religione Pontificius* ſeu *Catholicus* haberetur qui ſuſceptâ Heterodoxorum *Synaxi* externos *Proteſtantium* ritus jàm induerat? Si hujuſcemodi utentes diſſimulationis integumentis, *Catholici* adhuc haberi dicique poſſunt, cur hac *Proteſtantium Synaxeos* ſuſceptione non anteverterunt malum, quod carceribus toties fortunarumque jacturâ luerunt? Advertat igitur, quiſquis hæc legerit, percommodè iſtud cadere, quòd cum incredibili hujus Scriptoris in *Catholicos* invidiâ ſingularis ſtultitia conjuncta eſt, dum pugnantia tam audacter effutit, atque uno eodemque ſpiritu affirmat proditorem hunc Religione *Pontificium*, hoc eſt, *Catholicum* fuiſſe, additque nihilominùs eundem *Synaxin juxta ritus Anglicanos ſuſcepiſſe*, quo ipſo ſe *Catholicæ* Religionis deſertorem & planè Heterodoxum profeſſus eſt.

Quamobrem adeò nihil officit *Catholici* nominis integritati hæc *Manningi* proditio, ut ſingulari Religionis laudi vertendum ſit, neminem à *Nuperorum Angliæ motuum* primordiis perduellem, nedum proditorem extitiſſe, qui non priùs à *Catholicâ* Fide deſciverit. Quid quòd tantundem de *Manningo* ipſo teſtatur ejus poſtrema vox, cùm haud cunctanter faſſus eſt palàm, *ſe, niſi à Religione ſuâ defeciſſet* (*Catholicâ* nimirùm, quam à parentibus hauſerat) *Principem ſuum nunquam proditurum fuiſſe.* Proin notetur deinceps nefarius hic proditor atro calculo in peſſimorum *Batei Reformatorum* numero non priùs Rege, quàm Deo relicto infamis.

Cate-

Cæterum alia etiam ſubeſt huic *Batei* narrationi meritò caſtiganda falſitas. Ait enim proditorem hunc, quaſi tunc primùm, cùm hoc ſecùs mente concepit, *Synaxin juxta ritus Anglicanos* ſuſcepiſſet, non aliò hoc feciſſe, quàm *ut* [Cromwello] *acceptior fieret gradumque futuræ proditioni poneret.* Attamen complurium teſtimoniis liquet hunc *Catholici* parentis *Richardi Manningi* (qui CAROLO PRIMO glorioſiſſimæ memoriæ Rege Tribunus meruit, fortiterque cum perduellibus confligens *Alesfordiæ* eſt interfectus) degenerem filium, lubricas adoleſcentiæ vias ingreſſum, ut ſemel inclinatus in vitia animus præceps abit, etiam *Fidem* ipſam *Catholicam* tandem exuiſſe, aliquot antè annis, quàm *Cromwelli* nefariæque hujus proditionis cogitationem induit.

Advertendum hîc denique eſt, quàm avidè hic *Elenchi* Scriptor derivandæ in *Catholicos* omnes infamiæ anſam à *Manningi* Filii, tanquam *Religioni Pontificii*, proditione accipiat, dum interea ex *Richardi Manningi* Patris, reverà, *Catholici*, Tribunique Regii fortitudine, conſtantiâ, fuſoque ſanguine gloriam in *Religionem* ipſam *Catholicam* peræquè redundantem *Calvinianâ* iniquitate ſupprimit.

§. V.

Pag. 178. *Pontificios (etſi publicè deteſtari, & odio pluſquàm Vatiniano proſequi videri voluit* [Cromwellus] *aliquos ſibi admodùm familiares habere, & officiis multis animos demereri. Imò ſemel fervebat cum iis negotiatio de Toleratione Religionis univerſali concedendâ, tertiam partem*

reditûs

reditum (*quâ per leges noſtras vulctantur*) *pro certâ pecuniæ ſummâ ignoſcendo.* Falſa veris admiſta: nam *Catholicos* omnes tanquam Regi fidiſſimos, ideoque malè occupato alieno dominatui infenſiſſimos, quam publicè deteſtatus ſit *Cromwellus*, vel tacente *Cromwelli Protomedico* teſtantur illorum temporum edicta, decreta, Senatus-Conſulta ſeveriſſima adverſus *Pontificios* omnes. Recitanda de tabulis publicis, quas ſub * *Inſtrumenti Gubernationis* titulo *Bateus* ipſe *Elencho* ſuo intexuit, perquàm auſteræ legis hæc verba: *Nemini, qui fidem in Chriſto Jeſu profitetur, ſuæ Religionis exercitium interdicatur; modò nullam inferat aliis litem aut moleſtiam: Sectæ tamen tum Pontificiæ tum Prælaticæ nè minimum quidem favoris aut licentiæ permittendum.*

* *Elenchi part. 2. p. 155* See the Rump-Acts of July, 1651. 4. Aug. 1652 and 18. Nov. 1652.

Jam verò quod dicit Catholicos *aliquos ſibi admodùm familiares habuiſſe Cromwellum* falſiſſimum eſt, niſi fortè cujuſcunque Profeſſionis homines ad ſe, ut mitigandi Sequeſtri ferebat occaſio, adeuntes Urbanitate mediocri ſubinde excepiſſe Tyrannum, ſit eos *admodùm familiares habuiſſe, & officiis multis demeruiſſe*; quorum interea nonnullos moderatiùs fortaſſe nonnunquam habuit; Sed ab omni illorum temporum calamitate, quem uſquequaque immunem ille *Catholicum* hominem præſtiterit, vix unum *Bateus* in medium proferet. Nos contrà, quos ex omni gradu crudeliſſimè afflixit protrivitque utriuſque ſexus innumeros producemus. Verùm ut manifeſtò conſtet quàm imperitè, ne dicam ſtultè, Lectorum ſuorum animos conetur *Catholicorum*, tanquam *Cromwelli familiarium*, odio imbuere; Quæro ego ex

Proto-

Protomedico noſtro, num *Proteſtantium* pauciores quàm *Catholicorum*, *familiares* habuerit *Cromwellus?* Num *Bateo* ipſi, ejus clyſmorum Iaſanique arbitro (qui etiam *in proſcenium* illud *& poſt ſi parium* ſe *ſæpe admiſſum* fuiſſe jactat) minor cùm illò familiaritas interceſſerit? Num *Catholicorum* aliquem nominaturus ſit unquam, etiam Medicorum, qui in Tyranni iſtius aulâ *Protomodici* munus ambierit exercueritque ad extremum uſque immaniſſimi Regicidæ Spiritum? An non denique pluribus *officiis Batei* ſolius, quàm *Pontificii* ullius, *animum demeruerit*, quippe quem vitæ victuſque ſui moderatorem ſibi intimum adhibuit? *Medice cura teipſum*, meritòque retortis tuum in caput ſpiculis dictamnum quære. Pergo.

Semel fervebat, inquit, *cum Pontificiis negotiatio de Toleratione Religionis univerſali concedendâ*, &c. Iſtuc ſcilicet *Bateo* ex illorum temporum vulgi rumoribus proferre liceat, cui quantumvis *in proſænium & poſt ſiparium admiſſo* tot *Cromwelli* fraudum ac inſidiarum, tot per omnia ſimulationum diſſimulationumque abdita implicatos nexus rimari neutiquam licuit. Quod verò additur de *tertiâ parte redituum, quâ per leges noſtras mulctantur* [*Catholici*,] tunc condonandâ, vel miram in hoc homine latarum in *Catholicos* Anglos Legum inſcitiam arguit, vel, quod multò eſt pejus, affectatam certe falſitatem Exteris noſtrarum rerum ignaris perſuadere conantis, moderatius hîc cum *Catholicis* agi, quippe quos *tertia* tantùm *redituum parte mulctari* ait, cùm revera *redituum duabus tertiis partibus* totiuſque rei familiaris jacturâ (ut omittam alias graviſſimas pœnas) mulctentur noſtris Legibus, quarum

quarum nihilominùs executionem Clementissimi Regis (quem Deus sospitet) mansuetudine modò temperari gratissimi agnoscunt.

§. VI.

Eâdem Pag. 178. *Omnibus* [*Pontificiis*] *Missæ suæ copiam clàm dedit*, [*Cromwellus*] *& nunquam majore licentiâ vel audaciâ grassati sunt tum Jesuitæ tum Sacrificuli——in Castris, in Foro, in Pulpitis (imò ad promotiones patebat aliquibus accessus) adeò ut inter instabiles & malè fundatos opimam Neophytorum messem comparârunt.* Opimam enimverò mendaciorum Segetem! Sic constipata Lectorem incautum omnia obruunt, ut ventilare breviter singula necesse habeam.

Ac primùm *Omnibus*, inquit, [*Pontificiis*] *Missæ suæ copiam fecit.* Inopiam veriùs dixisses. Certè quidem, ut quod prudentissimi quique nostratium, etiam adversariorum, probè nôrunt, *Exteris* quoque, quorum in manus *Animadversiones* hæ nostræ pervenerint, manifestum fiat, refricatâ ipsius, quo hæc vult accidisse *Bateus*, temporis memoriâ refellenda est pressiùs tam infœlicis impudentiæ fabula. Hæret adhuc semperque hærebit in *Catholicorum Anglorum* animis illarum recordatio noctium, quarum caliginem ac tenebras toties adauxit immissorum à *Cromwello* eorum in domicilia Satellitum horror, quibus à sævissimo Tyranno in Sacerdotum investigatione sedulâ mandatum erat conclavia excutere, lustrare angulos, penetralia evertere, nullâ denique vel nobilitatis vel sexus reverentiâ familias ipsas affligere. In his *Robothamus*,

thamus, *Robinſonus*, *Giffordus*, *Ledſamus* recentibus *Cromwelli* literis autorati, quo plures Sacerdotes de facie noverant, eò ſtruendis inſidiis aptiores, combibitâ penitus nequitiâ veteranos impietatis ſateſlites anteibant. *Londini* nocte unâ, menſe *Decembri* octo cùm Cleri, tum variorum Ordinum Sacerdotes capti raptatique ad cuſtodiam: alii multi deinceps cùm Sacerdotes, tum (quòd apud Exterorum Principum Rerumque publicarum Legatos *Miſſæ* Sacrificio interfuerint) Laici conjecti in carceres mulctatique: imò ad fœminas ipſas Catholicas eodem nomine contrudendas in vincula ſeſe extendit Tyrannidis rabies, inter quas *Churchia* grandis natu Matrona nobilis, gravidaque admodum *Delavallia* multorum menſium cuſtodiam perpeſſæ: Hæc, inquam, omnia cum his ipſis, de quibus *Bateus* loquitur, temporibus contigerint, adeò non *Omnibus* (quæ vox mendacium cæteroqui ſatis immane omnino exaggerat) *Pontificiis Miſſæ ſuæ copiam feciſſe Cromwellum* probant, ut ne uni quidem Anglo intereſſe ſacris per eum impunè tunc licuiſſe conſtet.

Deinde *Nunquam*, inquit, *majore licentiâ vel audaciâ graſſati ſunt tum Jeſuitæ, tum Sacrificuli*, &c. Hæc quoque quàm ſint falſa, ex modò dictis abundè jam liquere nemo non intelligit. At verò toties repetitum in *Catholicos* Sacerdotes ſcurrile dicterium, dum *Sacrificulos* eos vocitat, caulâ quàm aulâ digniorem malè morati hominis ruſticitatem prodit, quippè qui minimè animadvertat majore illos, etiam Heterodoxis ipſis, in honore eſſe, quàm ſeditionum flabella, *Presbyterianos* Miniſtellos ſuos plerumque, ubi vel aurium prurigo deſiit, vel deferbuit è ſuggeſto debacchandi ardor, deſpicatiſſimos homunciones.

ciones. Quotus enim quisque nobilium nostratium, ne dicam Optimatum, æqui boni consuleret istorum Ministerio initiari filium suum? Ac credidère semper *Catholici* venerando *Sacerdotis* nomine magis ac magis collustrari generis claritatem. Ut omittam Exterorum nobilium, imò Regum, Principumque liberos atque agnatos magno numero ad Sacros Ordines Religiosorumque familias quotidiè convolantes, nôrit *Bateus* etiam nostrates ipsos *Anglos* (quibus hîc nulli modò Sacerdotiorum proventus, sed solius Divini cultus cælestes illecebræ suppetunt) numerari hodie in vivis ex Optimatibus Ducum fratres omnino tres, Marchionis unum, Comitum tres, Baronum duos, Equitum, quos *Baronettos* dicimus, primogenitos tres quatuorve, Equestris Ordinis plurimos, cæteros propemodùm omnes inferiorum nobilium liberos, quos reverentur utique, quoties congrediuntur, *Bateo* urbaniores Protestantes ipsi, docentque suo exemplo Protomedicum nostrum, *nunquam feram esse ad bonos mores viam.* Sed redeo unde me justissimus in hujus hominis dicacitatem ardor abripuit.

In [*Cromwelli*] *castris, in foro, in pulpitis grassatos esse* tum *Jesuitas, tum Sacrificulos*, ait. Crescit eundo *Batei* impudentia, jamque per castra, per forum, per pulpita, popularium rumusculorum inani vento subvecta quoquoversùm circumvolat, neque interea, cui pedem figat insideatque, sani cerebri hominem uspiam reperit. Quanquam miror equidem, autore, uti ferunt, *Prynnio* excitatam hanc famam tamdiu popularibus præjudiciis ignaræ multitudinis credulitati insidiatam esse. *Nemo*, inquit *Senica*[a], *potest personam din ferre. Ficta citò in* a lib. 1. de Clem. c. 1.

naturam ſuam recidunt: quibus veritas ſubeſt, quæque (ut ita dicamus) ex ſolido enaſcuntur, tempore ipſo in majus meliuſque proceduntur. Si vel ad unum quidem in totâ Angliâ ſive *Sacerdotem*, ſive *Jeſuitam*, qui vel *in Cromwelli caſtris*, vel *in foro* aut *pulpitis* aliquando comparuerit, perſonâ jam poſitâ rebuſque tempore ſedatis, nequeat *Bateus* digitum intendere: quorſum toties iteratâ loquacis plebeculæ cantilenâ prudentiorum aures obtundit? In hujus *Elenchi* Parte I. *pag.* 35. refert *horum Motuum* initio ſparſos in vulgus rumores de Pontificiis incendia & cædes illaturis, & ſuffoſſis ſubter Thameſim fluvium cuniculis pyrio pulvere elevatis in altum undis cives noctu ſuffocaturis, ridetque ipſe conficta hæc omnia vulgi terriculamenta: Quorſum nunc ita deſipuit homo ineptus, ut infimæ plebis rumuſculis de *Sacrificulis & Jeſuitis in Cromwelli caſtris, foro, pulpitis licentius graſſantibus* fidem habeat?

Quod verò addit etiam *ad promotiones* horum *aliquibus patuiſſe acceſſum*, adeò verum imprudenti excidit, ut ultro fateamur duos à nobis nominari poſſe qui ſub hæc ipſa *Cromwelli* tempora ad *Tiburni* furcas *promoti*, & poſt ſuſpendium in partes diſſecti ampliorem quàm in Tyranni aulâ honorem meruerunt, quorum alter *Petrus Wrightus* è Societate J E S U, alter verò ex ſæculari Clero Sacerdos *Joannes Southworthus*.

§. VII.

Pag. 181. *Circa pocula porrigebant* (nimirum *Regina Mater* juſve in inſtituendo filio *Gloceſtriæ*

Duce

Duce administri) *comminantes iram Dei æternam pœnasque temporales, nisi Fidem Romanam amplexaretur* [*Glocestriæ Dux.*] Quali maledicentiæ œstro abreptus Sereniſſimæ Reginæ Matris ſtudio curæque educandi filii apud ipſam relicti procul abſente Rege, illiberale roſtrum hîc illidat *Batens* dictum à nobis eſt ſupra *cap.* 1. §. 13. Poſtulandus nunc eſt apertiſſimæ calumniæ mendaciique, quod inter aculeata convicia, quaſi profligatâ omni obſequii reverentiâ, eructat homo impudens in Sereniſſimi Regis Magnam Matrem, eoſve quibus illa in inſtruendo filio uti voluit, dum cum *irâ Dei æternâ temporales* [Duci] *pœnas cõminatos* eſſe fingit, eoque vim tenellæ ætatis conſcientiæ intuliſſe, quod dulciſſimæ Parentis ſuavitate, eorumque, quos in hanc rem adhibuit, ſingulari prudentiâ alieniſſimum fuit: atque adeò eſt merum *Calviniana* invidiæ commentum, quod ſine ullo fundamento fruſtra fundere nititur Scriptor frequentiſſimè mentiendo infamis.

Ut abſolvam, profitetur Lectori ſuo [b] hic Protomedicus, *quin hæc omnia verè referat, ſe nullâ impediri animi ægritudine, vel horum gratia, vel illorum odio*: & rurſum [c] ſe *nullas veritati offuciaſ facturum ſanctè* promittit. Quemadmodùm hæc promiſſa præſtiterit peſſimus fidei exolutor penes Lectores æquos judicium eſto.

[b] Ad Lectorem ante primam partem.

[c] Ante Partem II.

CAP.

CAP. V.

Alii Batei ἀνιστορησίας *errores, & toto opere vitiosa Latinitas.*

Uæfactiosarum partium studio, proborumque odio ἀνιστορησίας vitia admittat *Bateus* quoties præsertim Historiæ probitatem sanctitatemq; maledictis ac mendaciis polluit, ex supra dictis jam abundè liquet. Notabo hic duntaxat nonnulla quæ Historico sanè indignam locorum ignorationem produnt.

§. I.

PART. I. pag. 95. *Pembrochiam* vocat *Dimetarum Metropolim*, deceptus fortasse quodam *Giraldi* loco, cùm Vicinorum *Dimetarum* Comitatus sive Provinciæ duæ, inq; illis *Maridunum*, *Cardigan*, *Aberwyssith*, non ignobilia oppida, id nunquam agnoverint, neq; Historicorum ullus Metropoleos dignitatem ac jus, certè in sitos extra *Pembrochiensem* agrum *Dimetas Pembrochiæ* tribuerit.

PART. 2. pag. 165. Cùm dicit *Regem nostrum Lenures*

Lonures pago Parisiorum hospitio exceptum, quis non miretur vel insciti*am* hominis, vel certè verborum jejunitatem? *Luparam* Regiam immensâ ædium laxitate ac magnificentiâ totâ Europâ celeberrimam nuncupari *Parisiorum pagum*, quæ vox, inquit *Calepinus*, significat *rusticanas domos in unum coagmentatas*; imò nesciri ab hoc Protomedico usitatum Gallis Scriptoribus Latinum notissimæ Regiæ nomen, quis ferat?

Similiter *Part.* 2. *pag.* 203. Qui *Hamtoniensem Basilicam* apud nostrates non gravatur appellare, cur non *Basilicam* dicit sed *oppidulum Sancti Germani*, pag. 165. Quis credat hunc scire quales sint in vicinâ Galliâ Luparæ ac Sangermani Regiæ?

Deinq; pag. 212. *Portum Iccium, Callisium hodie* audire ait. Adeone lippire hunc hominem aut hallucinari in vicino littore? Quis, ante *Bateum*, *Callisium* pro *Caleto* Latinè dixit? Quis porrò tam fidenter asseveraverit, *Caletum* fuisse *Iccium portum*, potiùs quàm *Audomaropolin*, aut alium similis à Britanniâ nostrâ distantiæ locum? Siquidem hunc portum à nostro littore *Cæsar* xxx. millia passuum distantem facit, *Plinius* quinquaginta, *Dion*, lib. 39, sex millibus auget.

§. II.

Jam vero ut constet quam immeritò Latinitatis nomine plausum quæsierit *Bateus*, concludam ab ipso Scriptionis genere per recentia vocabula & è vulgi barbariâ sumptos idiotismos per malè apta pronomina, verborumque discrepantia tempora & modos, per Barbarismos deinque ac Solœcismos, Grammaticorum infelices

infelices scopulos, agitatum Lectorem perpetuâ nauseâ fatigantis.

§. III.

Nomina nunc planè obsoleta, ex Camdeni aliorumq; antiquitatis indagatorum ruderibus erута, pro hodiernis locorum populorumve appellationibus, passim adhibere, quam puerilis est & frigidæ affectationis?

PART. 1. pag. 42. Cum dicitur *Hertfordiæ* Marchio *non contemnendam Belgarum manum secum attraxisse*, ecquis Exterus non existimet de Gallobelgis potiùs vel de Flandro-belgis (quorum etiam nonnulli sub idem tempus in Exercitu nostro militabant) sermonem hîc esse, quàm de *Somersettensibus*? Quotusquisq; exterorum, qui nec *Camdenum* legerit, nec Flandriam viderit, *Templum inter Belgas Sarisburiense* legens (*p.* 139.) inter transmarinos *Belgas* seu in Geographicâ *Flandriæ* tabulâ *Sarisburiensem* urbem non quærat?

Quis non rideat *Brigantium*, *Dobunorum*, *Icenorum*, *Regnorum*, *Durotrigum*, *Cattieuchlanorum*, *Dimetarum*, adeo inusitata vocabula in *Nuperorum Angliæ Motuum Elenchum*, etiam in Exterorum hæc nunquam intellecturorum gratiam, toties revocari? Quin etiam nostratium perspicacissimis importunam caliginem his nomenclaturis nonnunquam offundit *Elenchus* iste, dum incerti hæremus *Icenorum* nomine *Part* 2. *pag.* 112. *Suffolcienses* ne, an potius *Norfolcienses*, vel *Cantabrigienses*, vel denique *Huntingdonenses* intelligat, hos enim, quamuis diversos populos complectitur, unum *Icenorum* nomen.

§. IV.

§. IV.

Cæterùm qui ſic ab affectato vetuſtorum nominum uſu plauſum captat, quorſum recentia & exilia vocabula jejunitati ſupplendæ ex præſentis ſeculi barbariâ mutuatur? Qualia ſunt *PART.* 1. pag. 25. *Executio*, pro capitali ſupplicio; pag. 39. *Agonizante Regiâ Cauſâ*: pag. 50. *Articuli* pro Conditionibus: pag. 56. *Maneria*: pag. 79. *Remonſtrantia*: pag. 85. *Colloquium Perſonale*: pag. 109. *Regia perſona*: pag. 112. *Fœdus Nationale*: par. 2. pag. 45. *Convulſivi motus*: pag. 102. & 267. *Generoſi*, pro inferioribus nobilibus: pag. 70. *Literæ Reſtriſaliæ*, & ſexcenta ejuſmodi. *Algeriæ Divanum*, pag. 189. quis Latinè pro illius oppidi Conſilio interpretetur? & pag. 193. *Seruitium*, pro militiâ, quàm humilis & craſſus idiotiſmus, & tanto Principe indignus, cùm ait *Eboracenſem Ducem Galli ſervitio renunciaſſe*?

Programma vox illi admodùm familiaris v. g. *Part* 1. pag. 30. & 46. An & quando Edictum, aut Declarationem, aut denique libellum ſupplicem ſignificet, divinandum lectori eſt. Pag. 142. *Tubuccinantur* vel *tuburtinantur*, *Plautinum* eſt, & jam planè obſoletum. At verò pag. 117. *Ex Nigro eximi* pari ſenſu ac de nominum Albo loquimur, pag. 133, *Vappus* vel *Vappum* pro Vappâ: pag. 142. *Reginei reditus*, pro Reginæ reditibus, ex quâ tandem incude? Quem non pudeat tam præclarum ac nobile

Historiæ Argumentum cæno toties atque inquinatis dictionibus aspergere?

§. V.

Pronominibus *Sibi* & *Suus* vel ex puerorum ludis explodendâ insciti â sæpissimè abutitur, ubi nullus reciproco locus est. Ita *Part.* 1. pag. 18. *Accessit feruor* Archiepiscopi, &c. *Quæ res invidiam in seipsum derivavit*; pro *ipsum*, neque enim hic reciproco *se* uteretur Latinus quispiam. Pag. 50. *Articulis ergo pactis* (*quos inter sibi reservata est Regem adeundi copia*) *Marchio in Angliam reversus*, &c. pro *illi* vel *ipsi* neque enim reciproco *sibi* hîc est locus. Et pag. 66. *Commoda occasio suis machinationibus accidit*; hoc est Parlamentariorum machinationibus: pag. 72. *Unde factionis suæ numerus intumesceret*: pag. 73. *Militiæ ad nutum suum disponendæ ansa arripitur*: pag. 132. *Inde captaturi infamiæ vel sibi vel posteris inurendæ occasionem*; de Rege ejusque posteris sermo est. Denique *Part.* 2. pag. 101. *Montgomerius amandatur, qui moneat Regem, quàm perniciosa sibi suisque fuerit Fœderatorum desertio*: Credent Latini Τὸ *Sibi suisque* intelligi de *Montgomerio*, ejusque affectis, cum in Regem malè quadrent hæc reciproca, sintque ut cætera tot *Prisciani* cerebro inflicta vulnera.

§. VI.

Verborum porrò malè apta tempora & minimè congruentes

congruentes modos, velut lectori occurſantes toto opere importunas muſcas, quis ſatis eventilet? Quod fidentiùs Poëtæ nonnulli factitârunt, in veteri proſâ perrarò invenias, huic ubique ſolenne eſt; nimirùm Pluſquam Perfecto Indicativi modi, pro eodem tempore Subiunctivi; & pro Imperfecto Subiunctivi, ejuſdem modi Perfecto uti, etiam poſt *Cùm*, *Poſtquàm*, *Quamprimùm* & ſimilia. Fidem lectori facient ipſius *Elenchi* pagellæ penè ſingulæ. Pag. 123. Cum Regem in tertiâ Perſonâ loquentem toto ſermone induxiſſet, oſcitanter labitur in Secundam in verbo *rogaveritis*, abſque *inquit* vel alio hujuſmodi quod loquutionem molliat & Latinam reddat.

§. VII.

Ad Prælectiones jam venio, à quibus ille rudem præcipitemque calamum longè meliùs abſtinuiſſet, cùm eaſſemper propriis Urbium, Oppidorumq; Nominibus præponit, quod bonorum Autorum aliqui nonnunquam, nulli ſemper, ut iſte, fecere. Ita *in Dubliniam*, *à Londino*, *ad Sterlingam*, *ab Exoniâ*, *ad Coloniam Agrippinam*, *à Francofurto*, *à Sanctio Lucaro*, *ad Amſterodamum*, & ſimilia ubique in hoc *Elencho* occurrunt. *Cicero* ſanè in *Ep.* 3. lib. 7. ad *Atticum* admodùm anxius ſe excuſat quod *in Piræum* dixiſſet, exiſtimans id loci nomen eſſe non oppidi, *non enim*, inquit, *in*, *ut oppido præpoſui*, *ſed ut* loco.

§. VIII.

Libet hîc paucos ex plurimis ſolæciſmos etiam puerorum riſu ac ſibilis dignos ſub aſpectu lectoris ſubjicere, ut manifeſtò conſtet toties in *Priſciani* cerebrum impacto *Batei* calamo nullam excuſationis veniam ſupereſſe. Part. 1. pag. 20. *fibras omnes ſimultatis eradicatas iri ſperabatur*, pro *eradicatum iri*, vel *eradicandas fore*: pag. 25. *Plurès deterriti conſultiùs domi manere tuti rati*, &c. pro *manere tutos:* pag 56. *Ad artes redeo quibus Scotis lenocinabatur*; ponitur hîc Impersonale, nimirum pro *quibus lenocinium fiebat Scotis*: pag. 96. *Quod ambo equos conſcenſi fecere*; pudendus lapſus, pro *equis conſcenſis*. Parte Secundâ, Pag. 12. *Nullis immiſceant ſeſe negotiis forinſecis præter publicis*, pro *præter publica*, vel *præterquàm publicis:* pag. 51. *Adeò ut viris bellatoribus Hibernia vacua facta eſt*, pro *ut facta ſit* vel *fuerit:* pag. 110. *Adeò ut nulli illata eſt injuria*: Pag. 178. *Adeò ut opimam meſſem comparârunt*; pro *ut illata ſit, ut comparârint*. Sunt hæc puerilia et putida vitia. Denique pag. 155. *Protectores ordine ſinguli aſtringantur, ſalutem Reipublicæ ſe procuraturum, pacta nullatenus violaturum*, &c. fœdiſſima *Priſciano* vulnera, pro *procuraturos, violaturos*. Quem non puduiſſet tot puerilia vitia Regi Maximo, ſummoque Regni Cancellario inſcribere?

Hæc certè *Batei* lippitudini collyrii inſtar ſufficiant, ut ſe attentiùs deinceps inſpiciat, agnoſcatque

catque demum Historiæ Latinè conscribendæ minimè idoneum, ac proinde ne me (mi Lector) hujus

——*Crispini scrinia lippi*
Compilásse putes, verbum non amplius addam.

Horat. Serm. 2 Sat. 1.

FINIS.

INDEX
Memorabilium.

A.

ANglorum memorabilia facta à Bateo omissa, pag. 28. & deinceps.
Anglorum bello illustrium mortes omittit Bateus, pag 31.
Anti-Christus quis sit juxta Gulielmium Ossorienſem, p. 3.
Asblejus Baro, p. 31.

B.

Bateus sibi contradicit, p. 9. 15. & 52.
Bateus Cromwelli familiaris & Protomedicus, p. 48.
Batei ignorantia legum adversus Catholicos, Ibid.
Batei pudendi Solœcismi, p. 60.
Bateus malè moratus, p. 12. 50. 51.
Bernardus Stuartus Lichfeldiæ Comes interfectus, p. 31.
Berna Calviniſtarum Synodus rebellionem decernit, p. 18. & 19.
Blanca Wardorii Dominæ laus, p. 39.
Buchanani liber Anglicè redditus & nuper damnatus, p. 20.

Calvinus

INDEX.

C.

Calvinus perduellionem docet, p. 18.
Calviniſtarum primorum ſeditioſa dogmata. p. 18. 19. & 20.
Calviniſtarum ubiq; in Principes ſuos rebelliones, p. 20. & 21.
Campi nobilioribus præliis celebres, p. 33.
Carliſii Tribuni Catholici memorandum factum, p. 37.
Carnarvonii Comitis mors, p. 32.
Carolus Giffordus à Batei contemptu vindicatur, p. 10.
Caroli Lucaſii Equitis mors p. 25.
Caſens Miniſter egregiè ſeditioſus, p. 26.
Catholica Religio à Bateo Superſtitio dicitur, p. 2. & 4.
Catholicos & Jeſuitas ſtultè traducit Bateus. p. 43.
Catholicos ſemper odit afflixitque Cromwellus, p. 47.
Clarendonii Comitis ſummi Angliæ Cancellarii laus, p. 8.
Ejuſdem pro Aſchami interfectoribus Vindiciæ, Ibid.
Chriſtina Sueciæ Regina, p. 10.
Cliviæ Comes, p. 37.
Cuthbertus Conierus Tribunus, p. 32.

D.

Denbighiæ Comes interfectus, p. 32.
Digbæus modò Briſtolii Comes, p. 31.
Dunbarrii Vicecomes p. 32.

E

Edvardus Halſalius vindicatur, p. 7. 8. & 9.
Eccleſia Catholica pernicioſam Regibus doctrinam execrata eſt ſemper, p. 21.
Elenchus *hîc perperàm nominatus* Motuum Nuperorum in Angliâ, p. 30.
Epiſcopos leges nonnunquam violâſſe queritur Bateus, p. 22.
Epiſcopos ſeveritatis nimiæ in Preſbyterianos inſimulat Bateus, Ibid.

INDEX.

F.

Falkelandia Vice comes interfectus, p. 32.
Fernensis Episcopus falsò dicitur suspendio plexus, p. 44.
Franciscus Villerius Buckingamiæ Ducis frater interfectus, p. 31.
Franciscus Yattent Catholicus, p. 11.

G.

Georgius Albignii Comes occisus, p. 31. & 32.
Georgii Lislei Equitis mors, p. 25.
Gerardus Baro, p. 31.
Goodmanni Angli adversus Magistratum dogma, p. 19.
Goringus Baro, p. 31.
Gualterus Blountus Eques, p. 36.
Gulielmus Eureus Tribunus, p. 32.
Gulielmi Dentoni Medici cruentum Scriptum, p. 20.
Gulielmum Frynnium an rectè laudet Bateus? p. 23.
Gulielmus Sparkius Madriti capite plexus vindicatur, p. 7.
Ejusdem Epitaphium, Ibid.

H.

Hæresis & rebellio sorores gemellæ, p. 22.
Henricus Gagius Eques, Oxonii Gubernator, interfectus, p. 32.
Henricus Lingenus Eques, p. 39.
Henricus Progerius vindicatur, p. 7. 8. & 9.
Hibernos nimis generatim damnat Bateus, p. 4. 5. & 6.
Hoptonus Baro, p. 31.
Howardi duo Tribuni interfecti, p. 32.

INDEX.

I.

Jacobi Regis de Puritanis dictum, p. 21.
Jacobus Hamiltonius Eques, p. 39.
Iccius Portus non erat ubi modò Caletum, p. 55.
Jenkinsii inhonesta petitio, p. 27.
Imagines Sanctorum cur Bateus Superstitiosas dicat? p. 17.
Joannis Cansfeldii Equitis egregia facta, p. 32.
Joannes Digbæus Eques,
Joannes Gulielmius vindicatur, p. 7. 8. & 9.
Joannis Owenii Equitis constantia in capitis discrimine p. 36. *Ejusdem laus*, p. 39.
Joannes Smitheus Eques recuperato Regio labaro insignis, p. 32.
Joannes Southworthus Sacerdos morte affectus—— p. 52.
Josephus Wagstaffius Eques meritò commendatus, p. 39.

K.

Knoxii doctrina cruenta adversus Principes; p. 19.
Idem à Calvino, Beza & Whitakero laudatus; Ibid.

L.

Laborni Fortitudo Pembrochiæ, p. 25.
Langdalii Baronis preclarè facta à Bateo omissa, p. 31.
Leges Cromwelli tempore latæ in Catholicos, p. 47.
Lindesceii Comitis primi Archistrategi nusquam memini Bateus, p. 32.
Loughburgus Baro, p. 31.
Lovii Ministri insolens Uxbrigiana Concio, p. 26.
Ejusdem extrema verba, p. 26. & 27.
Lupara Regia in Gallia, p. 55.

INDEX

M

Macquirii Barenis Hiberni ultima verba, p. 41.
Maningus proditor nequaquam Catholicus, p. 45.
Maningus ejusdem Pater Tribunus Catholicus, Ibid.
Idem in Regiâ causâ interfectus, p. 46.
Mauritii Principis facta à Bateo prætermissa, p. 31.
Mendacii fœditas, p. 40.
Mendacium grande circa extrema verba Macquirii Baronis Hiberni p. 41.
Meretrix Babylonica cur à Bateo dicta Romana Ecclesia? p. 2. & 3.
Ministri Presbyteriani serò sapiunt, p. 24.

N.

Nicolaus Fortescutus Eques Melitensis. p. 32
Nicolai Kemitii Equitis mors. p. 25.
Nomina obsoleta à Bateo pueriliter affectata. p 56.
Nordovici Comitis discrimen capitis. p. 35
Northamptoniæ Comes interfectus. p. 32

O.

Obedientia Catholicorum continua erga Principes suos. p. 17.

P.

Pantalecnis Sâ Lusitani in morte constantia. p. 11.
Participia propriis locorum nominibus semper præponit Bateus. p. 59.
Pedemontanorum in Subaudia rebellium furor. p. 13.
Pedemontanos rebelles Reformatæ Religionis homines vocat Bateus. p. 27.
Penbrochia nunquam Metropolis Dimetarum. p. 54.

Penderilli omnes Catholici. p. 11.
Petrus Brownus Eques. p.32.
Petrus Wrightus Societatis Iesu morte afficitur. p.52.
Powelli fortitudo Pembrochiæ. p.25.
Poyerii fortitudo. Ibid.
Presbyterianorum laudator Bateus. p.22.
Presbyteriani Ministri Viri Ecclesiastici à Bateo *dicti.* p.26.
Presbyteriani non Pontificii Angliæ malorum causa. p.43.

Q.

Quercus Regiæ & Carlisii Tribuni celebris Epigraphe. p.37.

R.

Regicidarum Anglorum perfidia omnium maxima. p.16.
Reginam Matrem Bateus *indignè sugillat.* p.12.&.53.
Richardus Manningus. Vide, Manningus.
Rogerii L'estrangii dictum ingeniosum.
Rumores plebeculæ ridiculi de Sacerdotibus & Jesuitis. p.52.
Ruperti Principis egregia facta à Bateo *omissa.* p.31.

S.

Sabaudiæ Dux à Batei *calumniis vindicatur.* p. 13.
Sacerdotes contemptim Sacrificulos vocat Bateus. p.2.& 50.
Sacerdotum Anglorum, qui hodiè vivunt, Nobilitas. p.51.
Sacerdotes & Laici Catholici a Cromwello *in carcerem missi.* p.50.
Salopiæ Comitis Francisci Talboti singularis laus Vigorniæ. p.36.
Sangermani Regia in Galliâ oppidulum à Bateo *appellata,* p.55.
Scotorum Hibernorumque obscuriora tum loca tum facta à Bateo *celebrata.* p.20. *& deinceps.*
Severitas in factiosos ut nimiâ à Bateo *perstringitur.* p.16
Solœcismi Batei *omnino pudendi.* p.60.
Sunderlandiæ Comes occisus, p.32

T

Thomas Horniholdus, p.36

Thoma

Thomæ Killegrew laus & ardor vindicandi Regicidii, p. 8.
Thomas Morganus Westoni Dominus, p. 32.
Tho. Woodcockius Eques à Batei neglectu vindicatur, p. 14.
Troilus Turberuillus Eques interfectus, p. 32.

V

Valentini Progerii mors in Madritano carcere, p. 7.
Verborum temporibus & modis præposteris peccat passim Bateus, p. 59.
Vieuvilleus Marchio Gallus interfectus. p. 32.
Vigorniæ Marchionum meritissimæ Laudes p. 34.

W.

Waldensium Hæresis vocata á Bateo Reformatio, p. 14.
Waldensium Hæreticorum dogmata, p. 28.
Wardorii Baronis Arundelii fortitudo & fides, p. 39.
Whitfordus vindicatur, p. 3.
Wilmottus Comes Roffensis, p. 31.
Wintoniensis Marchionis commendatio, p 35.
Winturrius Eques forti animo Lidneianas suas ædes incendit, p. 38.
Winturriæ Dominæ constantia & virile factum. p. 38.

Præcipua præli Errata.

IN *Procem.* lege prævaricato *rem.* pag. 1. lin. 25. lege *quantumvis*. p. 5. l. 24. *af.* seclis. p. 6. l. 21. receperant. p. 9. l. 5. adversus. p. 9 l. 11. r. inconst*antia*. p. 11. l. 31. Cæterùm. p. 13. l. 7. Batee p. 22. l. 21. Episcopos. p. 27. l. 20 *eorundem*. p. 32. l. 29. lippum, malè. p. 33. l. 24. Treurovium. p. 34. l. 33. conflatum. p. 35. l. 24. magnificentia. p. 38 l. 1. præripiunt & l. 3 nostro. & l. 27. eludere. p. 39 16. & 17. inter Regi. p. 44. l. 5. deligunt. p. 46. l. 21. ——*gione*. p. 48. l. 21. proscenium. p. 51. l. ult. *Seneca*. p. 52. l. 9. cantilenâ. l. 11. horum. p. 53. l. 14. comminatos. p. 54. l. 2. *ἀνιστορησίας*. l. 9. maledictis. p. 55. l. ult. denique. Nè mihi aurem vellicet *Batei* Criticus, quod *Perduellionis* nomen in fœminino genere usurpaverim, quamvis pleraque dictionaria innuant masculinum id esse; noris (Lector) [redacted] Autorum *Nizolio*, *Stephano* aliisque sub hâc Voce citatorum testimonia [redacted] de *Perduellione*, hoc est, homine ipso *Perduelle* magis quàm de crimine intelligi, [redacted]

FINIS.

MVSEVM BRITANNICVM

INDEX